
C.R. BIBLIOTHECA
UNIV. R. JAGELL.
CRACOVIENSIS





DE ORDINATIONE SACERDOTVM in Ecclesia Romana.

Aduersus Iacobi Zaborouij Caluiniani Ministri DISSERTATIONEM.

AVCTORE

R. P. MARTINO SMIGLECIO Societatis IESV, Sacræ Theologiæ Doctore.



CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Francisci Cesarij. Anno Domini M. DC. XVII.

Illustrissimo Domino, D. VENCESLAO à Leszno LESZCZYNSKI CAstellano Calissiensi

AVCTOR FELICITATEM.



Nescio an vllâ in re tantum collocent præsidij sectarij, ILLVSTRISSIME DOMINE, quantum in libris quos cudunt & recudunt perpetuò. Inde sectæ suæ de Catholicis triumphum, inde suo nomini gloriã pollicentur. Sed enim Thrasonicè magis quàm verè hi ipsi & perfidiam illorum produnt iugulandam, & famæ luculentam inurunt notam. Cùm enim nullis vel argumentorum telis instructi sint, vel responsionum clypeis tecti, nec elidere, nec eludere vllo modo possunt robur Catholicæ veritatis; quin etiam temeritatis apud viros cordatos incurrunt infamiam. Nonnulla olim disputaueram de illegitimâ vocatione Ministorum: his opuscula duo, tardè quidem, sed aliquando tamen opposuit Zaborouius: in quorum altero Nodum ita soluit, vt adstringat fortiùs. neq;

enim ſolum friuolè admodum ad obiecta reſpondet, verùm etiam Patrum teſtimonia torta truncataq́; peſſimâ fide pro ſuis trahit commentis, vt palam faciunt notæ quas dedimus: ex quibus quiuis intelligit eum, quòd à veritate deſperâſſet ſuppetias, à falſitate quæſiuiſſe: in altero verò ea, quæ MINISTRIS inſeparata prorſus inhærent, in Sacerdotes noſtros congerit; conatu quidem, vt videtur maximo, ſed non diſſimili cæterorum prædicanticæ gentis fortunâ. nihil agit. quemadmodum ex eo, quem nunc in lucem emitto, libro prudens Lector non difficile iudicabit; ac inprimis tu ILLVSTRISSIME DOMINE, cui hunc meum exiguum laborem lubens ac promptus dedico; non ideo ſolùm quòd iudicij tui & in deprehendendis erroribus ſagacitatem, & in damnandis grauitatem perſpectam habeam; ſed quod peruelim meæ erga te obſeruantiæ aliquam extare teſſeram. Accipe igitur ILLVSTRISSIME DOMINE benigno placidoq́; vultu, & per otium animi grauiſſimis Reip: negotijs fatigati relaxandi gratiâ perlege. Caliſſij, ex Collegio CARNCOVIANO Societatis IESV, Anno Domini 1617. 1. Iunij.

DE

DE ORDINATIONE Sacerdotum in Ecclesia Romana.

Octo argumentis rem aggreditur Zaborouius, vt Sacerdotes Catholicos legitimè ordinatos non esse euincat: sed quàm irrito conatu, ex ijs quæ mox subijciam, quilibet nullo negotio deprehendet.

Primum argumentum.

IN primo argumento id præcipuè vrget Zaborouius, quod Sacerdotes Catholici ad Missas celebrandas ordinantur, quibus passio & mors Christi euacuatur, ideoque illegitimè ordinatos esse. Hoc non est argumentum, sed calumnia. Etenim Missæ sacrificium non ad abolendam passionis & mortis Christi memoriam, sed ad eam maximè repræsentandam, & fructum eius hominibus applicandum, pertinet. Nam neque repræsentatio passionis & mortis Christi potest cogitari maior, quàm quæ fit vera & reali corporis, & sanguinis Christi in Sacramento exhibitione: neque passionis & mortis Christi fructus in nos dimanare potest, nisi nobis per certa media applicetur. inter quæ principem locum tenet Sacrificium hoc incruentum: quod quia à nobis potestate à Christo factâ conficitur: offerri quoque à nobis Deo potest in munus longè gratissimum. Quod enim maximum à Deo accepimus, id illi in sacrificiũ exhibemus. Quid vero Deo gratius corpore & sanguine Christi? quæ quia fusè in primo de notis Ministrorum libro contra Zaborouium demonstrata sunt: hic solùm ipsas calumnias refutabo.

Illegitimè ordinari sacerdotes inualidè probat hæreticus ex eo, quod ad Missas celebrãdas ordinentur.

Ait nos Sacerdotii munus Christi proprium in homines transferre.

 Falsum.

Sacerdotiū Christi nulli concedimus.

Falsum. nam Sacerdotis principalis munus, quod Christi proprium est, nulli alteri præter Christum concedimus. Ipse enim principalis est Sacerdos, quia ex seipso vim & dignitatem ad offerendum habet: hominibus verò ministeriale tantùm Sacerdotum munus concedimus, vt nomine principalis Sacerdotis Christi, & potestate ipsius eandem victimam, quam in cruce ipse semel obtulit, & in Sacramento offerendam reliquit, offerant eo fine vt fructus victimæ in cruce oblatæ, applicetur.

Christus offerri debet sæpius modo incruento.

Ait Christum semel oblatum esse secundùm scripturam, & sæpe offerri non debere. Hebr: 9. 27. Fateor Christum semel per passionem & mortem oblatum esse, nec debere iterum, eâ ratione offerri; quo sensu non alio id dicit & docet scriptura: alioqui vt Paulus ibidem ait, oporteret Christum pati frequenter ab origine mundi, si per mortem sæpe offerri deberet. Porrò secundùm eandem scripturam fateri quoque necesse est, eandem victimam ritu Melchisedeciano sub panis & vini speciebus quotidie & in æternū in altari offerendam esse. Hebr. 8. 3. neque in vno tantùm loco, sed à solis ortu ad occasum, & in omni loco, iuxta Malachiæ vaticinium cap: 1. Nó igitur somniamus Christum quotidie offerri, vt nobis obijcit Zaborouius, sed id ex clarissimis scripturis docemus. Illi potius somniant, qui scripturis non credunt eandem victimam in cruce & Sacramento demonstrantibus modo tantùm non re diuersam. Simili sensu in Epistola ad Hebr: dicitur, vna oblatio. Neque enim vlla alia oblatio, præter oblationem corporis & sanguinis Christi admitti potest; quæ eadem est in cruce & in Eucharistia, modo tantùm offerendi diuersa. Illa enim ipsa numero victima, quæ in cruce cruentè oblata est in Eucharistia incruentè; ritu scilicet Melchisedeciano sub panis & vini speciebus offertur.

Repetitio huius sacrificij non est repetitio.

Repetitionem sacrificii ait ex Paulo esse imperfectionis argumentum. Fateor, si vnâ victima consumpta aliam similem substituere oporteat. Talem enim repetitionem sacrificij in legalibus sacrificiis agnoscit, & arguit Paulus, vt imperfectam. quotidie enim nouæ victimæ à præcedentibus diuersæ offerebantur: quod argumentum est imperfectionis. Si enim victima vna sufficisset, aliæ plures non fuissent necessariæ. Nos verò talem repetitionem in nostro sacrificio non admittimus, cùm non multas victimas, sed vnam & eandem semper offeramus: imo quia nostram esse perfectam & sufficientem credimus, ideò alias non multiplicamus, nec ad eas recurrimus; sed vnam & eandem nobis quotidie in sacrificio applicamus. Non potest igitur repetitio illa sacrificiorum, quæ damnatur à Paulo, tanquam imperfectionis argumentum nobis meritò obijci. cùm illa ad nostrum sacrificium

crificium non pertineat. Sequi ait insufficientem fuisse oblationem in cruce factam, si supplemento sacrificij incruenti indiget. At fallitur. Id enim non est supplementum virtutis, quam sacrificium cruentum habet sufficientissimam, sed applicationis; quale supplementum concedi non solùm absurdum non est, sed planè necessarium. Sacrificio enim in cruce acto nihil quidem deest quo ad virtutem · deest tamen applicatio; siquidem fructus illius sacrificij nemini in cruce fuit applicatus à Christo. alioqui omnes essent salui. sed per alia media ex Christi institutione applicari debet, vt per Fidem, Baptismum, & alia similia: quæ si quis negligat, fructum sacrificij in cruce facti non percipiet. Sicut igitur absurdum non est supplere illud sacrificium per alia media quo ad applicationem: ita & per sacrificium incruentum, quod non nouam virtutem ad salutem nobis confert; sed virtutem sacrificij cruenti nobis applicat. Cùm igitur, Zaboroui, in tuo primo argumento probare non potueris, nostros Sacerdotes in sacrificio Missæ contra virtutem & perfectionem sacrificij in cruce oblati agere, fateri debebis te ab initio statim in probatione defecisse. Tantùm vero abest, vt propter sacrificium Missæ Catholici Sacerdotes non sint veri & legitimi Sacerdotes, vt nisi hoc sacrificium offerrent, nullo modo veri Sacerdotes essent: cùm nec Sacerdotes sine sacrificio esse possint, nec aliud sacrificium noui testamenti esse possit, quàm sacrificium corporis & sanguinis Domini. vti loco citato à nobis demonstratum est.

Supplementum non virtutis, at applicationis est in sacrificio nostro.

Secundum argumentum.

IN secundo argumento ostendit Sacerdotes Pontificios non esse legitimè ordinatos: quia eo fine ordinantur, vt id, quod solius Dei proprium est, ad se rapiant: nempe potestatem peccata remittendi. Hic iterum calumniam pro argumento obijcit. Etenim potestatem illam principalem & independentem remittendi peccata, quæ Dei propria est, Sacerdotibus minime concedimus: sed ministerialem duntaxat, & à diuina dependentem, qualem Christus ipse dato ad id Spiritu sancto concessit Apostolis. Ioan: 20. Nam & potestas miracula faciendi si sit principalis & independens, Dei solius propria est: si vero sit ministerialis, & virtute diuina exerceatur, ea hominibus quoque communicari potest. Manifesta igitur est hæc in nos calumnia. Neque enim nos illam, quæ Dei propria est, potestatem, sed aliam ab ea distinctam, & longè diuina inferiorem hominibus concedimus:

Ordinatio ni sacerdotali annexa potestas remittendi peccata nec quicquam præiudicat.

neque

neque rapimus ad nos quod Dei eſt, ſed id quod nobis à Deo per Chriſtum conceſſum eſt, legitimo iure accepimus. Plura ad hanc rem contra Zaborouium doceo in primo de notis Miniſtrorum libro, vbi etiam demonſtro Miniſtros Lutheranos & Caluinianos eo nomine legitimos Miniſtros non eſſe, quod Spiritum ſanctum ad remittenda peccata in ſua ordinatione non accipiant; & poteſtate Miniſteriali remittendi peccata, quam Chriſtus ſingulare ordinis Sacerdotalis decus eſſe voluit, careant.

Tertium argumentum.

Eidem ordinationi, ex eo derogare quaſi ad idolatriam promouendam dirigatur eſt blaſphemare.

IN tertio argumento contendit Pontificios Sacerdotes, legitimos paſtores non eſſe, quod ad idololatriam promouendam ordinentur. Ordinantur enim, inquit, ad Euchariſtiam populo eandem adoraturo in Miſſa oſtentandam. Hoc argumentum pura eſt in Chriſtum blaſphemia. Quis enim Chriſtianis auribus ferat carnem Chriſti diuinam, diuino cultu adorandam non eſſe, aut in ea adoranda idololatriam committi? Si enim caro Chriſti ob vnionem cum diuinitate adoranda non eſt; neque Chriſtus homo Deo hypoſtaticè vnitus diuino cultu adorandus erit? quo quid magis blaſphemum fingi poteſt? Rectè igitur Auguſtinus ex ſenſu vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ de carne Chriſti in Euchariſtia loquens ait: Quam nemo manducat niſi adorauerit. Non nos Zaboroui idololatræ ſumus, qui diuinum corpori Chriſti honorem deferimus: ſed vos infideles eſtis, qui Chriſti verbis veram ſuam carnem in Euchariſtia eſſe affirmantis non creditis; Nos quia credimus veri Chriſti adoratores ſumus; vos quia infideles eſtis diuinum honorem Chriſto Domino & Corpori eius, gentilium inſtar denegatis.

Chriſtus etſi creatura ex parte naturæ humanæ, tamen adorandus vt Deus.

At, inquis; Creaturã eſſe carnem Chriſti negare non poteſtis? Quid tum? num & Chriſtus humanæ naturæ reſpectu creatura non eſt? & tamen propter vnionem hypoſtaticam cum diuina natura adoratur vt Deus; quam vnionem ad carnem quoque Chriſti ſpectare, ſi Chriſtianus es, non negabis. Pura igitur creatura diuino cultu adoranda non eſt: at creatura diuinitati vnita non ratione ſui, ſed ratione vnitæ diuinitatis diuinum cultum promeretur. Id ſi tu non credis, è numero Chriſtianorum non es: ad gentilium numerum ſpectas. Si credis, teipſum condemnas, cùm carnem Chriſti diuino cultu adorandam negas.

Quartum argumentum.

IN quarto argumento ais, nostros Sacerdotes & Episcopos per pecuniam & malas artes suam ordinationem consequi, ideoque legitimè ordinatos non esse. Si id vniuersè de omnibus Sacerdotibus intelligis, calumniator es impudens: si de aliquibus, insipientissimus argumentator. Quis enim nisi stultissimus inferat, si aliqui ex sacerdotibus Pontificiis per pecuniam & malas artes suam ordinationem consecuti sunt, de omnibus sacerdotibus idem iudicium faciendum esse. Si Iudas Apostolus fur erat & proditor Christi, an igitur cæteri quoque Apostoli simili notâ afficiendi erunt? Annè apud vos desunt Ministri, qui malis artibus ministeria consequuntur? nunquid inde inferes, nullos apud vos Ministros legittimos esse? Deinde si de ordinatione quæ est ad ordinem sacerdotalem vel Episcopalem loquaris, (vti propriè loquendum tibi est) erras si existimas per pecuniam ordinatos Sacerdotes & Episcopos veros & legitimos Sacerdotes non esse. Verum enim sacerdotalem ordinem, licet non legitimis modis consequuntur: sicut & qui baptismum similibus modis acquireret, verè & legitimè baptizatus esset, ita vt rebaptizari non possit. Quod si simoniaci Sacerdotes *can: 30.* Apostolorum priuari iubentur suis dignitatibus & excommunicari; id non ita crassè accipiendum est, vt sacerdotes esse desinant. character enim sacerdotalis semel habitus amitti nunquam potest; sed vt tam vsu ordinis sacerdotalis careant, quàm dignitatibus & officiis sacerdotio annexis. Hæc cùm non intelligas, aut te non intelligere simules, argumentator acutus videri vis; sed non nisi apud eos qui oculos non habent: & tuam in argumentando inscitiam deprehendere non possunt.

Non omnes sacerdotiũ malis artibus adeunt.

Sacerdotiũ vel malis artibus quæsitum est sacerdotium verum.

Quintum argumentum.

IN quinto argumento sacerdotes Pontificios probas esse dissipatores, non dispensatores Sacramentorum, quod vsum alterius speciei fidelibus auferant contra Gelasij & Leonis M. decreta. At habes ad hoc luculentum responsum in 1. *de notis Ministrorum libro.* Nos enim qui in vna specie integrum Christum, & integrum Sacramentum ex institutione Christi credimus, vsum quoque siue vnius siue alterius speciei legi-

Sub vna specie ministrare Eucharistiam, non est dissipare.

timum ex ipsa Christi institutione deducimus: & æquè Christi institutionē pertinere ad vsum vnius speciei sicut ad vsum vtriusque. cùm æque in vna atq; in vtraq; specie Christum integrũ,integrum Sacramentum,integrum Sacramenti fructum & effectum ex Christi institutione habeamus. Non igitur violatores sumus institutionis Christi, sed obseruatores; & quidem magis quàm vos Euangelici. nam vos in vtraq; tantùm, institutionem Christi sequimini, nos autem tam in vtraq; quàm in vna. Imo nec in vtraq; vos Christi institutionem seruare conuincimus: siquidem Christum ex vtraq; specie eijcitis, sine quo vtraq; species nihil valet nec Sacramentum est, sed falsa existimatio Sacramenti. Cùm verò Gelasium & Leonem producis, qui nonnisi Manichæorum superstitiosam & ex infidelitate hæretica procedentem, alterius speciei contemptionem damnarunt; Tu hoc ipsum ad veram & ex institutione Christi profectam alterius speciei abstinentiam temere & falso detorques; quæ duo tantum à se distant, quantum cælum à terra. Etenim Manichæi non credentes Christum verum sanguinem assumpsisse, ac proinde nec nobis in calice eundem verè reliquisse, abstinebant ab vsu calicis. quam ipsorum perfidiam Gelasius & Leo Pontifices meritò condemnarunt: & nos cum illis condemnamus. & ad eam tantò magis vitandam vsum vtriusq; speciei fidelibus præceperunt. At quid hoc ad veram & ex institutione Christi profectam ab altera specie abstinentiam? sed hæc loco citato habes contra te copiosius.

Leo & Gelasius Manichæos damnant, non autem nos.

Sextum argumentum.

Sacerdotes, etsi in articulos illos Fidei impingerent, sacerdotes esse non desinerent.

IN sexto argumento ais Pontificios sacerdotes impingere in orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, & Decalogum, ideoq; legitimos ministros non esse. Insulsa argumentatio: non enim in veram Orationem Dominicam, verum Symbolum & Decalogum impingunt, sed in falsificatam & pessime à vobis intellectam & expositam orationem Dominicam, Symbolum, Decalogum. quod est in ipsorum hæreticas interpretationes impingere.

In particulari autem ais impingere nostros in articulum *Credo in Deum.* quia Sanctos inuocandos docent; quasi qui Sanctos inuocet non credat in Deum. Si ita est non igitur credebat in Deum Paulus, cùm toties orationes fidelium expeteret: inuocare enim Sanctos nihil aliud est, quàm

quàm vt orent pro nobis postulare. Vos etiam non creditis in Deum, quia vos aliorum quoq; orationibus commendatis. Quod si id non concedes, Zaboroui; tuam expositionem illius articuli ; *Credo in Deum*, ipse condemnabis. ita enim credi in Deum vis, vt nullus præter Deum à nobis inuocari posfit. Quod si credendo in Deum sanctos qui sunt in terra inuocare possumus, quia præceptum de credendo in Deum non excludit inuocationem aliorum, cur non sanctos in cœlo regnantes inuocare pari ratione possimus, cùm præcepto de credendo in Deum aliorum inuocatio non prohibeatur ? At acute argumentaris; Si inquit in Sanctos credant sunt maledicti, *Ieremiæ 17. 5. Maledictus enim qui confidit in homine* ; si non credunt, inuocare illos non debent, dicente Paulo *Rom: 10. 14. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Vtraq; illatio insulsa. Nam neq; nos proprie loquendo in Sanctos credimus. in Deum enim eo sensu credere dicimur, quia credendo in eum tanquam in vltimum finem nostrum tendimus, & summam salutis nostræ in eo collocamus. quo credendi modo in Sanctos non credimus. Si tamen improprio loquendi modo admittamus nos in Sāctos credere, quia Sancti sunt suo modo nostri adiutores ad salutem, non idcirco maledictioni subiacemus; quæ non datur apud prophetam, nisi in eos, qui relicto Deo in solo *homine confidunt*, & (vt mox addidit Ieremias) *carnem ponunt brachium suum.* Nos autem, cùm Sanctos inuocamus, non humana aliqua ope confidimus, nec carnem ponimus brachium nostrum, sed eo veluti medio vtimur ad diuinum auxilium per Sanctorum preces obtinendum. Quare cùm Sanctos inuocamus, tunc maxime diuinum auxilium postulamus, cùm non solum precibus nostris, sed & precibus Sanctorum illud obtinere satagimus. Alioqui dic, Zaboroui, cùm tu aliorum in terra degentium preces postulas, confidisne in homine contra præceptum Ieremiæ; & ponis carnem brachium tuum, vel non ? Si ita est; maledictus es : sin minus; falso & stultè in nos execrationem detorques ; cùm non alia ratione nos in Sanctis in cœlo regnantibus confidamus, quàm vos cùm Sanctos in terra degentes inuocatis.

Zaborouius non credit in Deū. aut malè argumentatur.

Credi quodamodo in Sanctos dicē possumus.

Altera quoq; illatio non minus est inepta. Cùm enim Paulus *ad Roman: 10.* agat de inuocatione Dei, vt ex versu præcedente patet; *Omnis*, inquit, *qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Zaborouius inepte ad inuocationem Sanctorum detorquet : cùm per se manifestum sit inuocationem Sanctorum ab inuocatione diuina esse diuersissimam. Non igitur, si ad

Imploratio cœlitum Fidem in ipsos non exigit.

inuocandum Deum requiritur Fides in Deum, sequitur ad inuocandos Sanctos requiri fidem in Sanctos. Neq; enim quicquid ad inuocationem diuinam quæ maior est, requiritur, requiri quoq; ad inuocationem ipsâ inferiorē par est. à maiori enim ad minus affirmatiuè consecutio non valet. Deum igitur vt Deum rite inuocare non possumus, nisi in eum credamus: & credendo in eum tanquam in vltimum finem nostrum, & primam salutis causam tendamus. quod ad inuocandos Sanctos non requiritur: ac proinde nec requiritur vt credamus in Sanctos, propriè loquendo: sed satis est si Sanctos esse amicos Dei credamus. Alioqui dic, Zaboroui, cùm tu Sanctorum in terra preces inuocas, an credas in Sanctos, vel non? Si credis, quomodo ergo id nobis obijcis quod ipse facis: si non credis, quomodo inuocabis in quem non credidisti? Expedi nodum hunc, & solutionem tui argumenti habebis.

Ait secundo nostros impingere in articulum de Christo concepto, nato, passo, crucifixo, & mortuo: quia nimirum *Christus mortuus est propter peccata nostra, resurrexit propter iustificationem nostram. Rom: 4. 25.* Sacerdotes autem Pontificij in Sanctorum & proprijs meritis iustitiam & salutem quærendam docent. Scilicet, Zaboroui, candidè nostrum dogma citas. Vt verò te errore liberem, dic age obsecro, cùm ais *Christũ passum esse propter peccata nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostrã*, an hoc ita intelligas, vt patiendo pro nostris peccatis, nihil nos agere voluerit; nec vlla opera nostra ad remissionem peccatorũ obtinendam requisiuerit. Si ita est, non erit igitur opus ad remissionem peccatorũ consequendam Fide in Christum, timore iudicij diuini, spe misericordiæ diuinæ, pœnitentia & dolore peccatorum, deniq; conuersione mentis ad Deum per dilectionem & amorem; frustraq; sacræ literæ nos ad hæc & similia opera incitant consequendæ veniæ causa. Quod si passio Christi ista non solùm non excludit, sed etiam requirit, tanquam media præparantia nos ad remissionem obtinendam; quis non videt ad iustificationem & salutem opera nostra ex fide & gratia diuina procedentia momenti habere plurimum? non quidem ita vt gratiam iustificationis promereamur (quid enim peccator apud Deum mereri potest, qui omni bono indignus est?) sed vt per illa tanquam per media & dispositiones ad Dei gratiam & iustificationem præparemur. Sicut enim, non obstante quòd Christus passus sit propter peccata nostra, per Sacramenta, tanquam per media à se instituta, remittit nobis peccata: ita non obstante quòd passus sit pro nobis, per nostra opera ex Fide & gratia ipsius procedentia,

Fiducia mortis Christi nõ impedit fiduciam opis cœlitum.

neq; nostras actiones sanctas.

dentia, remittit nobis peccata. In hunc enim finem nos ad talia opera per gratiam suam excitat & impellit, vt nos ad iustificationem tandem promoueat & perducat. Non potes igitur negare, Zaboroui, passioni Christi sua media, per quæ operatur. vnde consequetur ita è passione Christi quærendam esse iustificationem, vt nostris quoq; operibus, non tanquam meritis, sed tanquam medijs ad remissionem obtinendam, sit locus; & ab operibus tanquam à medijs a Christo requisitis quærendam esse suo modo remissionem peccatorum. Falsum igitur est, & calumnia mera, cùm obiicis nos in meritis nostris aut Sanctorum remissionem peccatorum quærere. nos enim non solùm id non sentimus, sed anathema dicimus iis omnibus, qui ita sentiunt; solumque opera nostra secundum scripturam vim mediorum non meritorum habere ad nos ad remissionem obtinendam disponendos affirmamus. Quod etiam non quibusuis operibus tribuimus, sed iis duntaxat quæ ex Fide & gratia Spiritus S. in nobis oriuntur. Talibus enim operibus vim ad remissionem peccatorum tribuere, est eam passioni Christi, ex qua talia opera omnem suam vim sortiuntur, tribuere.

hæ n. mortē Christi in nobis efficacem reddūt.

Quamuis autem per merita nostra nos iustificari negemus: fatemur tamen post iustificationem in hominibus iustis opera meritoria vitę æternæ, quibus vita æterna tanquam merces & corona iustitiæ debeatur, inueniri. quod non solùm vim passionis Christi non minuit; sed eam illustrat & magnificat. Hic enim est singularis passionis Christi fructus, vt non solùm nos reddat Deo gratos & verè iustos; sed etiam vt opera nostra, quæ tanquam iusti ex gratia Dei facimus, sint Deo grata & præmio digna; cùm sint in Deo & propter Deum facta; ita vt omnem suam vim ad merendum ex passione Christi accipiant.

Mors Christi in nobis gignit actiones dignas præmio.

Vos Lutherani, & Caluinistæ, vim omnem passionis Christi euertitis; cùm docetis totum Christi sanguinem & omnia Christi merita id efficere non posse, vt verè à peccato liberemur; sed solùm vt peccata nostra iustitia Christi contegantur: verè tamen in nobis ad finem vsq; vitæ maneant. Hæc est pudenda illa doctrina vestra orbi Christiano antè nunquam audita, & ad omnem virtutem passionis Christi funditus euertendam nonnisi Dæmone ipso auctore excogitata. Similiter eundem passionis Christi fructum operibus quoq; negatis; cùm ea quantumuis sancta & perfecta videantur, esse peccata mortalia, & mereri iustam opprobrij mercedem cum Luthero & Caluino docetis. Quomodo enim, Deus bone, Christus pro peccatis nostris passus verè creditur, si nos in

Heretici mortē Christi euacuant.

peccatis reliquit? & vim nobis bene operandi & à peccato resurgendi non promeruit? neq; aliam nobis iustitiam nisi imputatiuam, quæ est velamentum non abolitio malitiæ, concessit? In vos igitur vestra ipsorum confessione id retorqueri meritò debet, quòd articulum de passione Christi penitus non credatis; cùm vim illius omnem in vobis & in operibus vestris negetis. Plura de hac re habes in tuam gratiam scripta *libro 2. de notis Ministrorum.*

neq; credũt.

Porro, cùm Augustinus librũ de gratia & libero arbitrio eo fine scripserit; vt merita nostra non ex viribus nostris, vt Pelagiani volebant, sed ex gratia Dei procedere scripturarum testimonijs comprobaret: mirari satis non possum aduersarios infidelissimè Augustinum pro sua parte adducere truncatis eius verbis; cùm is solùm merita ex viribus naturæ contra Palagianos oppugnet; sententiam verò Catholicam de meritis ex Dei gratia procedentibus multis scripturis confirmet. Nam si dicat Zaboronius nostris operibus mercedem dari ex gratia, non ex debito: primùm repugnabit scripturæ, quæ mercedem *reddendam operibus tanquam coronam iustitiæ à iusto iudice* testatur; *2 Timoth.* 4. 8. quod si redditur ex iustitia, redditur ex debito. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis nostri. Hebræ. 6. 10.* quibus verbis indicat ita Deum reddere operibus mercedem, vt nisi redderet iniustus esset. Repugnabit & rationi. merces enim promissa sub conditione operum inducit obligationem & debitum iustitiæ. Cùm ergo Deus promiserit operibus nostris mercedem, seipsum promissione & pacto debitorẽ nobis ex iustitia fecit. Quanquam & merces, quòd à Deo sit promissa; magna Dei misericordia dici debet; sponte enim & ex gratia promisit, & se debitorem fecit: & merita nostra cùm sint dona eius & ex gratia ipsius procedant, gratia Dei meritò dicuntur diuersoq; respectu sunt & gratuita & meritoria. gratuita, quatenus ex gratia procedunt operante in nobis & velle & perficere: meritoria quatenus ex pacto Dei de reddenda mercede proficiscuntur. Rectè igitur loco citato Augũst. *Cui*, inquit, *redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors Pater? & quomodo esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur?* Neq; refert quòd serui inutiles dicimur in scriptura; postquam omnia fecerimus: licet enim opera nostra nihil vtilitatis Deo afferant, quòd Deus nullius sit indigens; tamen postquam deducta sunt in pactum cum promissione mercedis, debetur illis ex iustitia merces.

August. frustra citant sibi contrarium.

Nostris actionibus sanctis debetur merces à Deo.

eademq; est mera liberalitas eius.

Iam

Iam verò in articulum de Ascensione Christi impingere nos satis insulsè docet, quòd Christum in terris in Eucharistia ostendamus. quasi vel ista sint contraria, vt diuinâ virtute idem corpus in cœlo & in terra simul existere non possit; vel cum articulo de ascensione Christi in cœlum non sit coniũgendus alter articulus de vera & reali Christi prçsentia in terris in Sacramento. Quemadmodum vero nos qui hos duos articulos coniungimus reprehendi iure non possumus: ita vos qui eos seiungitis; & alterum de reali præsentia prorsus negatis contra scripturas & vniuersæ Ecclesiæ Fidem, maxima estis reprehensione digni. Non minùs etiam ineptè ex eo, quòd Christus in cœlo Aduocatus noster sit, infert Zaborouius; nos, cùm Sanctos quoq; intercessores habemus, Christum esse Aduocatum nostrum non credere. Nam simili ratione Zaborouius quoq; cum suis Christum aduocatum abnegare conuincetur; quia Sanctos in terra intercessores adhibet, eorumq; preces exposcit. Imperitè vero Christi principalis Aduocati officium Sanctorum intercessione euerti putat: cùm Sancti non nisi per Christum, & in nomine Christi ac per eius merita petant quicquid petunt à Deo; vnde potiùs Christi supremi Aduocati dignitatem extollunt & amplificant, quàm diminuunt & ei præiudicant.

Christum esse in cœlo, & in Eucharistia:

esse Aduocatum nostrũ, itemq́ beatos, nil repugnat.

In alium quoque articulum, quo creditur Ecclesia Catholica, nos impingere insulsissimè ostendit; quòd Ecclesiam videre non credere volumus, & statuamus Ecclesiam Christi esse visibilem. Verùm talpa cæcior est, qui Ecclesiam Christi, quæ est *ciuitas super montem posita*; &, vt ait Augustinus, *abscondi non potest*, non videt. Quis enim non videt Christianorum cœtum Fidem Christi Catholicam per orbem vniuersum profitentium? Si enim nemo negauerit omnes Respublicas, in quibus homines ab hominibus gubernantur esse visibiles; cur negare poterit oues Christi visibiles à visibilibus pastoribus gubernatas esse Rempublicam visibilem? Illud verò quàm ineptum; si Ecclesia videtur, non igitur creditur. Nunquid enim Christus non videbatur simul & credebatur, *quia*, inquit, *vidisti me Thoma, & credidisti*. Nam quod ait, *Fidem esse argumentum non apparentium. Hebr: 11. 1.* id non concludit non posse idem videri simul & credi. Sunt enim plurima quæ videntur & creduntur; sed solùm in iis quæ videntur contineri semper aliquid inuisibile. Sic in Christo homine visibili diuinitas latebat inuisibilis. Sic & Ecclesia visibilis, quatenus à pastoribus visibilibus diuina & inuisibili cooperante virtute gubernatur, est inuisibilis; simpliciter tamen visibilis est, quia & homo sim-

Ecclesia Christi aspectabilis est,

& tamen credenda.

mo ſimpliciter viſibilis dicitur, etiamſi animam inuiſibilem habeat. de quo plura in noſtro 2. *de notis Miniſtrorum libro.*

Remiſſa peccata alicui nominatim non eſt credendum.

Denique ait nos in articulum de remiſſione peccatorum impingere: quòd ſolùm in generali credamus hominibus verè pœnitentibus remitti peccata; non verò Fide ſpeciali huic vel illi in particulari certò remiſſa eſſe peccata. O quam futilis probatio! Etenim vbinam in Symbolo dicitur, Credo remiſſionem peccatorum huic vel illi in particulari factã? Vbi verò Chriſtus cuiquam in particulari abſolutè promiſit remiſſionem peccatorum, & nonniſi ſub conditione Fidei, Spei, Pœnitentiæ, & conuerſionis in toto corde ad Deum? cui vero reuelatum eſt in particulari quod eas omnes conditiones, prout eas Deus ad iuſtificationem requirit, perfectè habeat. alioqui ſi id reuelatum non eſt, credi Fide diuinâ non debet, ac proinde nec remiſſio illa peccatorum ſpecialis, quæ ab hac conditione dependet, fide diuina credi poteſt. Paulus ſanè etiamſi ſibi nihil conſcius eſſet, ſe tamen non ideo iuſtificatum eſſe pronuntiat eo argumento, quòd is *qui me*, inquit, *iudicat*, *Dominus eſt.* hoc eſt, aliquid in me deprehendere poteſt, quod ipſe non deprehendo. Nunquid igitur Lutherani oculatiores ſunt Paulo, vt diuinum iudicium vereri non debeant, ne in factis illorum aliquid deprehendat, quod ipſi non deprehendant? Apage ſtultitias tales.

niſi id ſit reuelatum diuinitus.

Dæmones remiſſionẽ peccatorum non credunt vt nos.

Ridiculè verò producit ad ſuam cauſam tuendam Dæmonum exemplum. quos ait in generali quoq; remiſſionem peccatorum credere; vnde infert noſtram fidem à Dæmonum fide non differre. Sed quàm imperitè! Nunquid enim Dæmones credunt in generali ſibi remittenda per Chriſtum peccata ſicut nos credimus? Deinde nunquid, cùm Dæmones credant vt & Lutherani Chriſtum eſſe verum Dei Filium, propterea concedet Zaborouius Lutheranam fidem non eſſe differentem à Dæmonum fide? quis hanc inferendi inſcitiam non rideat? Denique ſatis conſtat apud bonos Theologos in Dæmonib. eſſe fidem naturalem non ſupernaturalem, quæ donum Dei & fides ſalutaris dicitur. quòd eam Dominus ad ſalutem requirat. En quot modis nihil ad rem loquitur Zaborouius?

Non minori quoq; ineptitudine nos in Orationem Dominicam impingere docet. primùm quòd Oratio Dominica ad ſolum Deum dirigitur; *Pater noſter, qui es in cœlis:* nos verò ait docere eandem orationem Sanctis quoq; fundi. pro quo citat *Cenſuram Colonienſem fol: 208. & Caniſium in opere Catech. fol: 81. & 82.* Verùm traducit auctores

iſtos

istos Zaborouius; & suam interpretationem crassam contra omnem ipsorum mentem ipsis impingit. Neq; enim eo sensu orationem Dominicam fundi ad Sanctos dixerunt, vt Sancti dicantur in oratione Dominica Patres nostri qui sunt in cœlis, vt Zaborouius pro sua synceritate illis imponit: sed alio optimo sensu, vt nimirum Sancti ea, quæ in oratione Dominica postulamus, nobis à Deo impetrent: vel vt Deus propter Sanctos suos eadem nobis concedere dignetur. vtroq; enim modo orationes ad Sanctos fundimus, vel ipsos orando vt pro nobis orent; vel Deum orando vt propter Sanctos suos quæ postulamus, concedat. ad eum modum quo in veteri quoq; testamento oratum legimus. Hoc igitur duplici sensu & fine orationem Dominicam fundi ad Sanctos dicti auctores dixerunt. interpretatio verò quam illis affingit Zaborouius, mera calumnia est. *Precatio Dominica non tribuitur cœlitibus, vt Deo.*

Alterum est; quòd in oratione Dominica panem nostrum quotidianum mendicato à Deo postulamus. nos autem ait vitam æternam meritis nostris debitam docere. At dicat Zaborouius, an ita panem nostrum quotidianum à Deo petamus, vt eum sine nostris laboribus merè de cœlo lapsum expectare debeamus. Si ita est, non igitur serendi agri erunt: nec in sudore vultus panis quærendus; sed miraculosi panes de cœlo expectandi: si verò petitio & mendicatio nostra non excludit labores nostros & merita; non potest nisi ineptissimus ex ea petitione inferre aliquid contra merita nostra: nam etiam merita nostra sunt dona Dei: & à gratia Dei proficiscuntur. Deus enim dat omnibus velle & perficere. Cum verò August: (licet falsò) citas *in Psal: 31.* dicentem: *Si Deus daret quod mereris, vtiq; damnaret: non dat tibi debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam.* an non res ipsa loquitur, Augustinum de peccatore nondum iustificato loqui, cui pro peccatis nõ debetur nisi pœna, & ex Dei misericordia non ex vllis meritis eius datur ei indebita gratia? Sed tuum est ingenium, Zaboroui, extra rem loqui, & sententiam Catholicam traducere, quasi asseramus ex meritis nostris dari nobis gratiam iustificationis, quâ ex peccatoribus efficimur iusti; quæ est ingens in nos calumnia, quũ in peccatoribus merita ante iustificationem non agnoscamus: in iustis quidem agnoscimus. qui postquam iustitiam adepti sunt secundum iustitiam operantur; eos enim dicimus posse diuinâ iuuante gratiâ efficere opera digna præmio æternę vitæ, quibus vita æterna vt merces, vt corona iustitiæ, vt retributio debeatur, vti Scriptura testatur. Quòd verò te falsò citasse verba Augustini dixi, id clarum est, Quod enim Augustinus de *Petere simul & mereri aliquid possumus à Deo.* *Non meremur iustificationem.*

operibus malis dixit, tu vniuersè de omnibus meritis Augustinum facis locutum. Augustinus enim ita ait; *Si quod debetur illis operibus* malis *Deus redderet, vtiq; damnaret: stipendium enim peccati mors.* Tu vero fingis Augustinum locutum; Si Deus daret quod mereris, vtique damnaret; vt sic omnia merita damnasse Augustinum induceres. An non hoc falsare est Sanctorum testimonia?

Impostura in cit: auctoribus.

Tertium est. quod per eam orationis Dominicæ partem, qua dicimus; *Dimitte nobis debita nostra*, non ita oremus vt debemus. Si enim sine Fide oramus, nil obtinebimus. si cum Fide, illa vel erit generalis, vel specialis: generalis non sufficit, quia & in Dæmones cadit, qui credunt & contremiscunt: specialis verò à vobis, inquit, non admittitur, sed præsumptio hæretica à vobis nominatur. ex quo concludit, nos sine Fide dicere; *Dimitte nobis debita nostra*. Sed absurdè. non enim alia ratione credenda nobis est remissio peccatorum, nisi vti nobis à Christo promissa est. Promissa verò à Christo est non absolutè, sed sub conditione eorum actuũ quos Deus à nobis ad iustificationem requirit; nempe, Fidei, timoris, spei, pœnitentiæ, dilectionis. Cùm igitur nulli Deus in particulari reuelet ipsum habere illos omnes actus ea perfectione quâ ad iustificationem requiruntur; consequens est nullum posse Fide diuina absolutè credere sibi esse remissa peccata; sed sub conditione duntaxat actuum ad remissionem peccatorum à Deo requisitorum. Quis enim potest dicere; *Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prouer: 20. 9.* Generali igitur Fide tantummodo credimus nobis remitti peccata. quia firmissimè credimus Deum daturum nobis remissionem peccatorum, si nihil ex parte nostra defuerit. hanc porrò Fidem generalem Dæmones non habent; quia nec in generali, nec in particulari credunt Deum sibi remissurum peccata; nec absolutè, nec sub conditione. Quare locum Iacobi; *Credunt & contremiscunt*, impertinenter more suo adducit Zaborouius. neque enim in eo dicitur Dæmones credere remissionem peccatorum; sed credere Deum vnum esse, vt ibidem S. Iacobus ait.

Credimus remißionẽ peccatorum vti promissa à Christo.

hoc est Fidè generali, & conditione certa.

Meritò igitur Fides illa specialis, quâ Lutherani credunt tam certò sibi nominatim esse dimissa peccata, quàm certò credunt Deum esse trinum & vnum, dicitur à nobis præsumptio hæretica. Quanta enim temeritas est, id tanquam reuelatum à Deo credere, & eadem certitudine quâ cæteros Fidei articulos, quod Deus nunquam reuelauit; & cuius certitudinem conditionatam solum esse voluit? Quocirca cùm Catholici secundùm Scripturas credant dimitti sibi peccata sub conditione actuum requisitorum, eâ

id autẽ hæretici monstrosè credunt.

rum, eâ Fide petunt in oratione Dominica sibi remitti peccata quâ debent. At Lutherani & Caluinistæ cum falsa Fide speciali, & contra Scripturas id petunt; ipsi igitur in oratione Dominica turpiter impingunt, non nos.

Verùm quid moror? annè vos Lutherani petitis peccata vobis à Deo verè remitti? an non id est directè contra vestram doctrinam, quâ docetis peccata non auferri à nobis sed tegi? vos igitur sacrilegi violatores estis orationis Dominicæ, cum fictè oratis vobis remitti peccata. Petitis enim eo sensu, vt verè in vobis maneant vsque ad mortem, & solùm iustitia Christi contegantur. Audi Augustinum in eum quem citasti 31 Psalmum de hac re loquentem: *Non sic intelligatis quod dixit; Peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & viuant. Tecta ergo peccata quare dixit? vt non viderentur. Quid enim erat Deum videre peccata, nisi punire peccata?*

Hæretici petunt nō auferri à se peccata.

In Decalogi quoque tria præcepta nos impingere summa temeritate asserit. Primum præceptum est; *Non habebis Deos alienos:* in quod nos impingere eo argumento probat, quòd tot Deos, quot Sanctos statuamus. Quid incredibilius? neque enim tantum terra à cœlo distat, quantum Sancti à Deo. At, inquit, cui attribuuntur attributa Dei essentialia eidem essentia diuina tribuatur necesse est. Rectè sanè. Vos, inquit, Sanctis tribuitis attributa Dei essentialia, vt est cordium nostrorum inspectio, fiducia opis ipsorum, & imploratio. Hic, Zaboroui, aut non intelligis quod loqueris; aut vehementer erras. Peto enim an virtute diuinitus concessa cor hominis inspicere sit attributum essentiale Dei, vel non. Si affirmes, sequetur Deum sua attributa essentialia posse communicare, & reuera communicasse hominibus, quoties illis humanorum cordium secreta manifestauit. Si verò neges; teipsum condemnas. qui asseris nos attributa Dei essentialia tribuere Sanctis: quemadmodum enim homines illi ex ea cordium inspectione, quæ fiebat non propria illorum virtute, sed virtute diuinâ dij non erant; ita nec Sanctos ob similem inspectionem cordium sequitur Deos esse, aut essentialia Dei attributa habere. Non enim quæcunque inspectio cordium est essentiale Dei attributum, sed ea tantummodo, quæ fit virtute propria & non alterius. Si tribueremus Sanctis quod virtute propria & naturali corda inspiciant, verè tribueremus eis id quod est Deo essentiale: at cùm tribuimus solum diuina virtute id facere posse, quis non videt calumniam nobis obijci, quòd aliquid Dei essentiale Sanctis adscribamus?

Arcana mētium nosse alieno auxilio nō facit Deum.

Similiter fiduciam collocare in aliquo tanquam in prima & principali causa salutis est solius Dei proprium; at fiduciam collocare in aliquo

non tanquam prima cauſa ſalutis, ſed tanquam media, id non ſolum non eſt proprium Dei; ſed Deo nullo modo conuenire poteſt. Deus enim quà Deus, non eſt media ſed prima ſalutis cauſa. Quare ſi in Sanctis tanquam in media cauſa, ſeu tanquam in interceſſoribus ad Dominum fiducia collocatur, nullo modo ſequitur, id quod eſt eſſentiale Deo, Sanctis tribui. Confidimus enim in Sacramentis, in Scripturis, in orationibus viuentium; neque tamen quiſquam dixerit eſſentiale Dei attributum aliquod iſtis tribui.

Ratio fiduciæ opis cœlitum repugnat Deo.

Dic, Zaboroui, an cùm exemplo Pauli petis orationes viuorum in terra fiduciam in ipſorum orationibus collocas aliquam vel nullam? Si nullam; ſtultus es, qui petis id ex quo nullum vtilitatis fructum ſperas: & illi non minùs ſtulti ſunt, qui pro te orant; cùm nullam tibi ſuis orationibus vtilitatem ſe allaturos ſperant. Si verò fiduciam aliquam in illis reponis, ergo vel attributum eſſentiale Dei eis tribuis, quod ſacrilegum eſt; vel ſi non tribuis falſum erit quod aſſeruiſti, nos fiduciam aliquam collocando in Sanctos attributum Dei eſſentiale illis tribuere. Talem enim fiduciam in precibus illorum ponimus, qualem tu concedis ponendam eſſe in viuorum precibus. Simili ratione cùm inuocationem aſſeris eſſe attributum eſſentiale Dei, peto an cùm inuocas Sanctos in terra tribuas illis attributum eſſentiale Dei? Si non tribuis, cur nos calumniaris id Sanctis in cœlo regnantibus tribuere? Inuocari enim tanquam interceſſorem ad Deum non eſt Dei proprium, imò nullo modo Deo conuenit, ſed ſolùm inuocari, tanquam primam & principalem omnium bonorum cauſam, inter attributa Dei propria referendum eſt. Patet igitur Zaborouium aut non intellexiſſe quæ eſſent attributa Dei; aut per calumniam nobis obijcere voluiſſe quod nunquam dicimus; neque ex dictis noſtris conſequitur.

Similiter implorari Deus nō poteſt ita, vt cœlites.

Contra ſecundum Præceptum de non faciendo ſculptili ait nos peccare, quòd imagines faciamus & adoremus. At errat, nec quid illo præcepto (quod primum eſt non ſecundum) prohibeatur intelligit. Sculptile
2. enim quod pro Deo adoratur ibi prohibetur; nam mox adiungitur; *vt adores illud:* at imagines Catholicæ pro Deo non adorantur; ſed Deum adorandum repræſentant. non igitur niſi imperitiſsimè dici poteſt eas præcepto illo prohibitas. alioqui quomodo Deus in imagine & ſpecie humana tam ſæpe hominibus apparuit? quomodo Spiritus ſanctus in ima-
3. gine columbæ videndum ſe præbuit? quomodo verò Deus imagines Cherubin in templo Salomonis fieri præcepit? at neque natura ipſa fert, vt

Imagines Catholicæ non vetitæ Decalogo.

Deum aliter nisi in imagine concepta expressum adoremus vel cogitemus. Tribuimus nos quidem aliquam venerationem imaginibus tanquã signis rerum sacrarum, sicut & Scripturis, & Euangelio, & nomini IESV, *in quo omne genu flectitur.* & Arcæ tanquam scabello pedum Dei adorationem tribui vult scriptura propter sanctitatem ipsius; *Adorate,* inquit, *scabellum pedum eius. quia sanctum est.* at nunquam dicimus imagines pro Deo adorandas, quod solùm in sculptili adorando prohibetur. 4. *adoranda ob sanctitatem prototypi tanquam signa nō ipsa diuinitas.*

Frustra verò producit Zaborouius Concilium Elibertinum, quod neq; ab Ecclesia est approbatum: & errores plerosque continet: & magis facit contra aduersarios quàm contra nos. in eo enim nil aliud prohibitum est, quàm ne in parietibus imagines pingerentur, quòd id eo tempore & loco videretur illis nouendecem Episcopis indecens quid continere. alias verò imagines in parietibus non pictas Concilium non prohibuit, *Ne,* inquit, *quod adoratur & colitur in parietibus depingatur.* quæ ratio indicat Christi & Sanctorum imagines & depingi, & adorari tunc solitas. & propter honorem illarum prohibitum esse ne in parietibus pingerentur, ne parietum humore vitia contraherent & contemptibiles redderentur. Quocirca Concilium illud nec omnes vniuersè imagines vetuit, sed in Ecclesiarum parietibus pictas: neq; ideo vetuit, vt cultum & venerationem prohiberet, sed potiùs vt vindicaret & promoueret. Simili ratione cùm producit factum Epiphanij ex epistola ipsius ad Ioannem Ierosolymitanum, qui velum in templo pendens conscidit imaginem hominis cuiusdam Sancti depictam habens, producit rem suppositítiam. Nam Epiphanij epistolam illam vertit in Latinum S. Hieronym. sine talis exempli additione. Vnde, sicut pleraque alia in libros Epiphanij ab hæreticis inserta fuerunt ita & hoc ad eundem numerum pertinet. sed plura de hoc sub finem libri. Miror autem Zaborouium nihil solidè verum sed apocriphum & nullius fidei pro sua sententia producere potuisse. Nam & Lactantius simulacra Dæmonum non veras Christi vel Sanctorum imagines damnat, *libro 2 cap: 9.* *Cōciliū etsi non probatū ab Ecclesia non est contra nos.*

Tertium præceptum, in quod nos impingere ait, est; *Non concupisces.* quòd nos concupiscentiam post baptismum peccatum esse negemus. Sed falsò & infideliter proponit nostram sententiam. Nos enim concupiscentiam carnis, nisi voluntas in eam consentiat, peccatum esse negamus tam ante quàm post baptismum. quo quid verius, quid & Scripturis & rationi conformius? Christus nos docuit ex corde generari peccatum; & cor esse propriam peccati sedem; *ex corde enim exeunt homicidia,* *Cupiditas voluntate renitente peccatum non est.*

sidia, adulteria, quæ coinquinant hominem. Ratio etiam omnis reclamat, vt id nostræ culpæ tribuatur, quod inuitis prorsus nobis & voluntate renitente accidit. Lutherani verò eò stultitiæ deuenerunt. vt concupiscentiam carnis etiam voluntate reluctante peccatum esse dicant; non solùm impropriè, quatenus ad peccatum inclinat, & ex peccato nascitur; sed proprie & verè, quatenus nos verè coram Deo peccatores, iniustos, & damnabiles facit. quo quid absurdius? At, inquit, Paulum post Baptismum dixisse, *Rom: 7. 7. Peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; Non concupisces.* Quid hoc ad rem? nam lex concupiscentiam prohibens non datur carni sed menti: ob quam causam dicitur à Paulo ibidem *lex mentis.* neque præcipit vt caro concupiscentias non sentiat; sed ne spiritus concupiscentiis carnis consentiat. Vnde mox concludit Paulus: *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo* IESV, *qui non secundum carnem ambulant.* Licet enim concupiscentias carnis sentiunt; quia tamen non secundùm carnem ambulant, nec iis obsequuntur, nullam damnationem vereri debent. Contra vos igitur, Lutherani, Paulus pronuntiat qui ex hominibus bruta facitis: & liberum arbitrium ad peccandum non requiritis: neque peccata per baptismum verè aboleri vultis; sed remanere & cum iustitia simul consistere. quæ quid sunt nisi mera opinionum vestrarum monstra?

Carnis cupiditas nō vetatur sed mentis.

Lepidè verò Zaborouius argumentatur; Concupiscentia post baptismum vel discordat à lege Dei, vel cum ipsa concordat. Si discordat peccatum erit, quia peccatum nihil est, quàm ἀνομία. Si concordat, erit virtus. Quàm acutè! quasi non possit dari aliquid quod nec discordet à lege, nec cum ea concordet, sed sit quid impertinens. de quo lex nihil statuat in vtramuis partem. Norunt enim Logici inter contraria dari medium posse. Talis verò est concupiscentia carnis, quæ ad carnem spectat. Per legem enim *Non concupisces*, neque præcipitur, neque prohibetur carni concupiscentia, sed menti; neque sensus legis est, vt caro concupiscentiam non sentiat, sed ne mens consentiat. Quare concupiscentia si ad carnem solùm referatur nullo modo est contra legem *Non concupisces*: neque ab ea discordat: neque cum ea concordat: quia lex de illa nihil statuit carni, sed tantùm menti. De qua re habes plura *in 2. de NOTIS MINISTRORVM libro.*

Carnis cupiditas sola non est legi contraria.

Septi-

Septimum argumentum.

IN ſeptimo argumento probat Zaborouius ſacerdotes Catholicos verã ordinationem non habere, quod veram ſucceſſionem Apoſtolicam nó habeant. Probat autem hanc ſucceſſionem Apoſtolicam defeciſſe, non veris aliquibus & ſolidis documentis, ſed mendaciis & fabulis variis de Pontificibus confictis, & in vnum conſarcinatis. Quo genere probandi non ſolùm ſucceſſionem Romanorum Pontificum nó euertit, ſed etiam ſtabilit magis ac confirmat. Cùm enim illam nonniſi mendaciis oppugnare poteſt, eo ipſo oſtendit, ſe veras rationes ad eam oppugnandam non habere, ac proinde inuictam eſſe. namque mendaciis expugnari non poteſt. Primùm igitur in eo peccat Zaborouius quòd fabulas pro argumento adducit. Fabulæ enim ſunt de tot Papis Hæreticis: fabulæ de Papa fæmina. quæ niſi toties à nobis refutata eſſent, non eſſet difficile veritate ipſa oculos aduerſariis configere. Remitto te tamen, Zaboroui, ad ea, quæ *2. de notis Miniſtrorum libro*, de hiſce fabulis aduerſus te ſcripta ſpero breui lucem videbunt. aliquid tamen etiam hic in finem libri adiiciam. Secundo peccat cùm ineptè argumentatur; Si Papæ aliqui fuerunt Hæretici: ſi malis artibus ad Papatum aſcenderunt: ſi multi ſimul Antipapæ fuerunt: ſucceſſionem Apoſtolicam eſſe interruptam. Id enim minimè ſequitur. Etſi enim daremus Papam aliquem hæreticum fuiſſe, etſi malis artibus Papalem dignitatem obtinuiſſe; ſi tamen ab Eccleſia recepti & tolerati fuerunt, Pontifices veri fuerunt. licet digni eſſent, qui ab Eccleſia deponerentur & officio priuarentur. Tunc enim Eccleſia eos pro ſuis paſtoribus agnoſcebat, & illis ſe ſubiiciebat. Nam & in iure habetur iudicem intruſum ſi toleretur & communi vulgi errore pro legitimo cum Titulo habeatur, verè iudicis officium præſtare, & ab eo geſta vim ſuam & robur obtinere. Si verò multi ſimul Antipapæ fuerunt, ſemper tamen vnus ex illis declaratus ab Eccleſia fuit legitimus Papa, aliis cedentibus. quòd ſucceſſionem interrumpere minimè cenſeri debet; niſi tempus ſedis vacantis ſucceſſionem interrumpere cenſeatur. quod ſanæ mentis nemo dixerit.

Fabellis oppugnant Hæretici ſacerdotium Catholicũ.

Succeſſio Apoſtolica nõ eſt interrupta.

Octauum argumentum.

IN octauo argumento probare nititur ordinationes in Eccleſia Romana non eſſe legitimas, ex eo quod non ſint iuris diuini. Ordinationes enim

enim Presbyterorum nituntur, inquit, ordinatione Episcoporum: ordinatio Episcoporum nititur primatu Pontificis Romani: primatus verò Pontificis Romani nititur primatu S. Petri. Cùm igitur, inquit, primatus S. Petri ex iure diuino probari non possit; sequitur ordinationes in Ecclesia Romana esse iuris humani ac positiui; ac proinde non esse ordinationes veras à Christo institutas. Hæc omnia quàm futilia sint, & sine vllo fundamento à Zaborouio dicantur ostendi fuse contra ipsum in *2. de notis Ministrorum libro*: nunc tamen, vt ipsius argumentorum vanitas tantò magis pateat, non grauabor singula quæ obiicit refellere,

Argumenta Zaborouii contra primatum Petri.

PRimum est. Parem potestatem omnibus Apostolis Christus contulit: non igitur Petro super Apostolos primatum dedit. Omnibus enim Apostolis æqualiter dixit *Matth: 24.19. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos. &c. Ioan: 20.22. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Petrus maior aliis Apostolis:

Miror sanè Zaborouium, ea solùm loca accepisse, in quibus Petri cum cæteris Apostolis paritas indicatur: ea verò dissimulasse in quibus asseritur imparitas. Etenim sicut quæ adduxit æqualiter omnibus Apostolis dicta sunt: ita quod *Matthæi 16.* soli Petro præ cæteris Apostolis dicitur; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cælorum:* eius imparitatem, & præ cæteris Apostolis primatum designat. vt validis & immotis argumentis loco citato à nobis demonstratum est.
1. Singulare enim quid præ cæteris Apostolis Petro tunc præstitum est, sicut & singulari ratione præ cæteris Petri seu petræ nomen a Domino accepit: & singulari ratione præ cæteris Christum confessus est Filium Dei; & singulari ratione illi tunc Pater cœlestis reuelauit; at-
2. que ideo singulare quoque prœmium retulisse censendus est. Neque verò, quod Petro soli collatum est, fuit postea factum commune cæteris Apo-
3. stolis; sed hoc priuilegium semper Petrus retinuit: neque Christus suam promissionem vnquam violauit, aut immutauit. Si enim totius Ecclesiæ Petra & fundamentum constitutus, aut saltem nominatus tunc fuit, proculdubio omnium Christi fidelium, ac proinde & cæterorum Apostolorum petra & fundamentum fuit: & primatum talem in Ecclesia adeptus est;

& fundamentum etiam Apostolorum.

est; vt ei omnes fideles, ac proinde & Apostoli subiacerent. Et licet Apostoli directione Petri ex accidente non egerent; quòd à Spiritu sancto omnes dirigerentur; tamen, si Petri officium secundum se spectes, illud tale fuit; vt suam potestatem in omnes exercere potuerit: per accidens verò fuit, quòd ea directione opus non esset. Hic est ergo ille primatus Petri, quo caput & fundamentum totius Ecclesiæ, ac proinde & cæterorum Apostolorum, effectus est ita: vt ratione officij non ille cæteris Apostolis, sed cæteri Apostoli ipsi subiacerent. Quare cùm nullus Apostolorum præter Petrum constitutus sit vniuersæ Ecclesiæ petra & fundamentum; nullus etiam promissas habuit claues regni cœlorum: solius Petri hoc priuilegium erit iure diuino; & ex consequenti primatus Petri ex institutione diuina. *& primas institutione diuina.*

Par ergo erat potestas Apostolorum quo ad res faciendas: quia nihil circa fideles poterat facere Petrus, quod non cæteri quoq; facere possent. at in modo potestatis erat imparitas. nam Petrus quæ faciebat, faciebat ratione officij tanquam petra & fundamentum totius Ecclesiæ ex officio institutus; cæteri verò Apostoli faciebant eadem, sed tanquam legati à Christo missi: vnde officium & primatus Petri in successores quoque transiit. quia hoc proprium est officij ordinarij, vt in eo succedatur: cæterorum verò Apostolorum officium cùm fuerit per modum legationis ad posteros non transiit. neque enim legatis in officio legationis succeditur. Petrus etiam eam potestatem, quàm in alios fideles communem cum cæteris Apostolis habuit, in ipsos quoque Apostolos exercere potuit; quantum est ex institutione & natura potestatis: cæteri verò Apostoli eam potestatem in Petrum ex officio exercere non potuerunt. Ea potestas item in solo Petro erat tanquam in capite, quo modo in cæteris Apostolis non erat. Assignamus igitur in paritate potestatis imparitatem duplicem: alteram, quæ ex officio ordinario sumitur: alteram quæ sumitur ex potestate in ipsos Apostolos: vtraque autem fundatur in illis Christi verbis; *Tu es Petrus. & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cælorum*; solus enim Petrus inter Apostolos potestatem in vniuersam Ecclesiam habuit, tanquam petra & fundamentum eius ordinarium & perpetuum: solus illam habuit per modum clauium regni cœlestis, hoc est cum principatu, qui nomine clauium significatur: cæteri eandem potestatem clauium, sed non per modum clauium habuerunt. quia non cum principatu in Ecclesia, qui nomine clauium significatur. Recte igitur Hieronymus, *in Iouinianum* sic scribit; *Licet super omnes*

Par aliis quo ad res agẽdas: impar in modo potestatis.
1.
2.
quæ illi etiam in Apostolos fuit.
3.
4.
Potestas Petri solius, vt fundamenti: vt clauigeri cælestis.

per omnes Apostolos ex æquo fortitudo Ecclesiæ solidatur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur; vt capite constituto schismatis tolleretur occasio. Idem quoque Cyprianus agnoscit de simplicitate Prælatorum; *Hoc,* inquit, *fuit Petrus, quod & cæteri Apostoli; sed exordium ab vnitate proficiscitur: & primatus Petro datur, vt Ecclesia vna monstretur.*

Secundum argumentum est. Consenior principem pastorum supra se agnoscens primatum habere nequit: Petrus fuit talis cõsenior: *1. Pet: 5. 1.* Primatum igitur minimè habuit. Non video quid hic nerui habeas, Zaboroui. quid enim repugnat eundem & conseniorem esse vno respectu, siue collegam; quia cum cæteris senioribus gubernat: & cæteris senioribus præpositum esse alio respectu; quia est inter seniores summus? Vt enim summus sacerdos respectu aliorum sacerdotum & consacerdos dici potest; & summus sacerdos esse: ita & Petrus poterat esse diuersa ratione & consenior, & supra cæteros seniores: & vt minimum ea appellatio conseniores non euincit, ne possit inter omnes seniores dici summus. Nihil igitur valet tuum argumentum, Zaboroui, ex Consenioris nomine ductum. Alioqui simili ratione probares Christum non fuisse Dominum nostrum, nec pastorem; quia omnes vocat suos fratres *Heb: 2.* Licet enim vno respectu vocet nos suos fratres propter communionem naturæ; alio tamen respectu est Dominus noster, & princeps omnium pastorum, propter principatum potestatis. Neque vero officit, quod Petrus supra se Christum principem pastorum agnoscat: non enim volumus Petrum habere primatum supra Christum, vel æqualem cum Christo, sed infra Christum: ita vt infra Christum ipse solus sit primus pastor ouium Christi in terra.

Idem & collega, & summus inter collegas esse potest.

vt Christus & frater noster est, & Dominus.

Tertium argumentum. Is qui primatum tenet in Ecclesia, nulli rationem tenetur dare facti sui. Petrus autem *Actor: 11. 2.* dedit rationem Iudæis secum disceptantibus, quòd introisset ad viros præputium habentes: non igitur primatum habuit. Hoc argumentum maioris distinctione diluitur. Etenim is qui primatum habet, cùm nulli subiectus sit, nulli quoq; ex iustitia rationem facti reddere tenetur. hoc enim modo inferiores superioribus, & famuli Dominis ad rationem reddendam sunt obligati. At ex æquitate & ad satisfactionem aliorum tenetur sæpe etiam superior inferioribus rationem facti exponere, nimirum ad pacificandos subditorum animos, & occasiones dissensionum præcidendas. Hoc modo Christus ipse, de cuius primatu nullum dubium est, sæpe Iudæis exposcentibus rationem suorum factorum reddidit; illius facti præcipuè, quo

Petrus non reddidit rationem tanquam inferior.

Iudæi maximè offendebantur, quòd sanaret in die Sabbathi. de quo longam cum ipsis disceptationem habuit: neq; ea rationis redditione quicquam de sui primatus dignitate diminuit. Quid ni igitur Petrus quoq; saluo sui primatus honore idem Iudæis aduersus se disceptantibus facere potuit? Vides, Zaboroui, quàm puerilia in re puerili obiicias?

Quartum argumentum. Primas in Ecclesia nulli paret, sed ipsi omnes parere tenentur. Petrus paruit Apostolis mittentibus se cum Ioanne in Samariam, vt dicitur *Act. 8. 24.* Ergo in Ecclesia primas non fuit. Hoc argumentum simili vt præcedens inscitia nititur. Nam, etsi qui primas est nullius auctoritati subiaceat, neq; pro potestate ab vllo mitti possit; tamen si ex communi consilio sponte ad missionem consentiat, aut seipsum offerat, quis non videt non solum parem à pari, sed etiam superiorem ab inferioribus hoc modo mitti posse? Hoc verò modo Petrum cum Ioanne missum esse ab Apostolis constat, non ex auctoritate Apostolorum in Petrum, de qua nulla ibi mentio est; sed ex communicato ad inuicem consilio. Nihil igitur missio Petri ipsius primatui præiudicat, nisi ex auctoritate aliorum in ipsum facta fuisse probetur quod probari nunquam poterit.

Mittitur maior sine præiudicio dignitatis suæ.

Quintum argumentum. Primati in Ecclesia nullus resistere potest aut debet. At Petro Paulus in faciem restitit; *Galat. 2. 11.* Non fuit igitur Petrus inter Apostolos primas. Distinguenda est maior. Etenim primati nullus ex auctoritate resistere potest, aut debet; quia primas nullius auctoritati subiicitur. At ex officio correptionis fraternæ potest. superior enim ab inferiore corripi potest, iuxta leges correptionis à Christo datas *Matthæi 18.* Hoc verò modo restitit Petro Paulus *Galat. 2.* nullum igitur ex ea resistentia solidum argumentum nectitur Zaborouio.

Opponere se maiori pro amore non præiudicat potestati maioris.

Sextum argumentum. Petrus nunquam se gessit, vt caput Apostolorum. Quid ita? quia cum Ioanne & Iacobo dexteras dederunt Societatis Paulo & Barnabæ, vt hi inter gentes, illi in circumcisione docerent. *Galat. 2. 9.* Quis ineptitudinem huius probationis non rideat? Anne, si semel capitis officium non exercuit, vt tu loqueris, inferri potest non exercuisse vnquam? Itane te Logici docuerunt, Zaboroui, ex vna particulari inferre vniuersalem? Deinde quid mirum Paulo tunc dexteras societatis illos dedisse, vt ille inter gentes, Petrus inter Iudæos prædicaret? Sciebat enim Petrus Paulo ab ipso Christo id commissum fuisse, vt gentes doceret; quod ibidem Paulus *gratiam sibi à Deo factam* appellat: vbi verò Christus suam auctoritatem interposuit, Petrus nihil ex auctoritate facere

Et maiores cum minoribus societatē ineunt.

Petro nulliū ius in causa à Christo cōstituta.

debuit. Quàm vero multa obseruarunt Sancti Patres, & præcipuè Chry-
sostomus in Actis Apostolorum, in quibus Petrus primatum suum exer-
1. cuit, & se caput esse Apostolorum ostendit! Etenim *Actorum 1.* tanquam
paterfamilias cogit discipulorum cœtum: & vnum esse in locum Iudæ e-
2. ligendum docet: *Actorum 2.* primus inter omnes Apostolos Petrus pro-
gessit se vt mulgat Euangelium Iudæis: & prima sua concione conuertit tria millia:
caput sæpis- *Act: 3.* primum omnium miraculum in testimonium Fidei Christianæ fa-
simè. 3. ctum est à Petro, etiamsi tunc simul adesset Ioannes. *Act. 5.* primus iudi-
4. cium exercuit, & Ananiam cum Zaphira damnauit: *Act: 10.* primus om-
5. nium cœpit prædicare gentilibus, sicut & ipse primus prædicauerat Iudæ-
6. is. *Act: 12.* pro solo Petro in carcere constituto fiebat oratio sine inter-
missione ab Ecclesia: quod aliis Apostolis in simili periculo constitutis
factum non legitur. *Act: 15.* in concilio Ierosolymitano Petrus primus
7. loquitur, & ipsius sententiam Iacobus aliiq; Apostoli sequuntur. Hæc, &
alia S. Chrysostomus, & alii Patres primatus Petri indicia obseruarunt.
Tantum igitur abest vt Petrus nunquam se vt caput gesserit, vt potiùs nunquam non gesserit. quicquid enim faciebat, ex officio & cura summi & vniuersalis pastoris faciebat, sentiens sibi Ecclesiam vniuersam tanquam petræ & fundamento à Christo instituto incumbere.

Non puto te iam adeò alienum à ratione esse, Zaboroui; vt non intelligas tuas sex rationes contra primatum Petri nihil cum ratione coniunctum habere: cum à quocunq;, modò is rationis compos sit, dissolui facilè possint, & tamen thrasonico spiritu triumphas; & primatum Petri subruisse iactas. Sed an contra primatum Papæ solidiora afferas, videamus.

Argumenta Zaborouii contra primatum Papæ.

PRimum Argumentum. Cui Patriarchæ cæteri, reseruato tantum Primatu ordinis, priuilegiis omnibus exæquati sunt, ille non fuit primas ratione potestatis in Ecclesia: atqui Päpæ Romano cæteri Patriarchæ priuilegiis exæquati sunt; Papa igitur Romanus non fuit in Ecclesia primas. Minor huius argumenti est falsissima: eamque Zaborouius talibus testimoniis probat, ex quibus contrarium potiùs elicitur. Primum testimonium producit ex Concilio Nicœno 1. c. 6. *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Libya, vel Pentapoli; vt Episcopus Alexandrinus horum*

omnium

omnium habeat potestatem. Quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasq; Prouincias honor suus vnicuiq; seruetur Ecclesiæ. Quid hinc, Zaboroui, elicis? Nam de limitibus prouinciarum, ad quas gubernandas se extendere debeat Patriarcha Alexandrinus & Antiochenus audimus: quòd verò Patriarchæ subiici Romano Pontifici non debeant, non audimus. Neque enim ex hoc, quòd Patriarchæ suas prouincias immediatè gubernant, sequitur eos non esse subiectos Romano Pontifici. quidni enim possint gubernare suas prouincias, salua semper subiectione & obedientia Pontifici Romano. Cum igitur hic Patriarchæ non eximantur à subiectione & obedientia Pontificis Romani: non potest ex hoc canone aliquid aduersus hanc subiectionem & obedientiam inferri: & sic nihil probat Zaborouius.

Nemo exæquatus Pontifici Max.

Verùm non solùm hinc nihil probari potest contra potestatem vniuersalem Romani Pontificis: sed etiam ea potestas ex multis colligitur. Primò, quia Concilium initio canonis protestatum est se nihil velle immutare vel diminuere circa primatum & potestatem Pontificis Romani: sed eam saluam & integram in omnibus conseruare. Ita enim hic canon Nicænus citatur in Concilio Chalcedonensi, *act: 16.* à Paschasio Episcopo; *Ecclesia Romana semper habuit primatum: mos autem antiquus perduret.* Habuit autem primatum potestatis in omnes Ecclesias etiam Orientis, quam exercuit tum indicendo Concilia in Oriente: tum in condemnandis Hæresibus: tum in excommunicandis Episcopis orientis, vt vel ex facto Victoris Papæ 190 anno post Christum, ante Nicœnum Concilium plusquàm centum annis constat. Is enim Quartadecimanos Hæreticos condemnauit, quòd Pascha cum Iudæis quartadecima luna celebrandum docerent; & Ecclesias Asiæ propterea excommunicauit. cuius factum & decretum vniuersa probauit Ecclesia. de qua re Eusebius *5. Histor: cap: 23. August: hæres: 29.* Similiter Stephanus Papa ante Concilium Nicænum damnauit in Africa hæresim de rebaptisandis iis, qui ab hæreticis baptisati sunt: & in Ecclesias Africanas hæresim dictam promouentes decretum tulit. cuius decretum vniuersa Ecclesia recepit. Illum itaque primatum potestatis, quem Ecclesia Romana in omnes Ecclesias ante semper habuit, Concilium Nicænum intactum esse voluit: neque ei in suo decreto quidquam præiudicari voluit.

Papa pro potestate semper agit cũ aliis. 1. 2.

Secundò, quia rationem, quòd cæteri Patriarchæ iis limitibus prouinciarum contenti esse debent, eam adfert ex auctoritate Episcopi Romani: quoniam & Episcopo Romano parilis mos est, nimirum in gubernandis

illis Ecclesiis per suos Patriarchas. Neq; sensus horum verborum est Romano Episcopo parilem morem esse in gubernandis suis suburbanis Ecclesiis (quarum nulla ibi mentio facta est) sed in Ægypti Ecclesiis gubernandis per Patriarcham Alexandrinum. ac si diceret consueuisse Romanum Pontificem permittere, vt Ecclesiæ illæ gubernentur à Patriarcha Alexandrino.

Tertiò, cùm Concilium Nicænum indictum esset iussu & mandato Syluestri Papæ Romani, & ipsius legatis præsidentibus celebratum, & ab eodem postea ad ipsius Concilij postulationem fuit approbatum, qui fieri potuit, vt potestatem Pontificis, quam in illo ipso Concilio experiebantur, & cui se subiiciebant Patres Concilij, imminuere vellent?

Alterum testimonium adducit Zaborouius ex Concilio Constantinopolitano 1. c. 5. *Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet, & primatus honorem post Romanum Episcopum, quòd sit noua Roma.* Hic iterum nihil audimus de exæquatione potestatis, sed de ordine dignitatis post Romanum Pontificem Episcopi Constantinopolitani ante alios Patriarchas. Quocirca extra rem, vti solet, adduxit hoc testimonium, cùm ex eo non probetur id quod probandum erat. vnde verba solùm multiplicat non rationes. Quòd autem Concilium Constantinopolitanum noluerit æquare Pontificem Romanum aliis, patet ex ipso Concilio, quod in Epistola ad Damasum Papam Romanum, quæ extat apud Theodoretum *libro 5. Hist. c. 9.* fatetur se ex mandato literarum Pontificis per Imperatorem missarum Constantinopolim conuenisse: & ibidem fatetur Romanam Ecclesiam esse caput, se membra. Quid clarius ad istas in Concilium calumnias conuincendas?

Agnoscunt Concilia potestatē Papæ.

Tertium testimonium adducit Zaborouius ex Concilio Chalcedonensi *actione 16. Perpendimus omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conseruari: oportere autem Episcopum Constantinopolitanum eisdem primatibus honoris & ipsum dignum esse, & potestatem habere, ordinare Metropolitas in Asiana, Thracia, & Pontica diœcesibus.* Ex hoc testimonio nihil aliud concludere potest Zaborouius; præterquam Episcopum Constantinopolitanum habere quoq; primatus honorem in suis particularibus Ecclesiis; idquè quoad ordinationem Metropolitarum, vt ab ipso tanquam à primate particulari ordinentur. qui primatus longè distat à primatu Romani Pontificis. Nam Pontifex Romanus habet primatum potestatis vniuersalem in tota Ecclesia: vti idem ipsum Concilium agnoscit;

scit; non quo ad ordinationes Metropolitarum tantùm, sed etiam quo ad omnia, vocans illum *Episcopum Vniuersalem, actione 1. 2. & 3.* imo & in hac ipsa *actione 16.* legati Pontificis expresse voluerunt hoc decretum intelligi sine vllo præiudicio vniuersalis potestatis, quam habet summus Pontifex in vniuersam Ecclesiam: neq; aliter à Pontifice approbatum & ab Ecclesia receptum est; idemq; indicant Patres eiusdem Concilij in Epistola ad Leonem Papam, cum agnoscunt ei vineæ seu Ecclesiæ vniuersæ custodiam à Domino commissam; eiusq; prædicant Apostolicam Sanctitatem. Deinde Primatum potestatis in Episcopo Romano esse ex institutione Christi: vti in dicta Epistola ad Leonem agnoscit Concilium vineæ custodiam à Domino illi commissam asserens: Episcopo verò Constantinopolitano primatus conuenit, non iure diuino, sed solùm indulgentia, & permissione Concilij & participatione primatus Romani Pontificis. qui sui iuris partem potest cui vult impertiri. Cùm igitur ita concedat Concilium primatum Episcopo Constantinopolitano, vt nihil primatui & potestati vniuersalis Episcopi derogetur; euidens argumentum est nullo modo æquare in potestate Constantinopolitanum Episcopum Romano voluisse; sed potiùs ei esse subiectum tanquam particularem Episcopum vniuersali, ex ipsa institutione Christi primatum potestatis in Ecclesia habenti. Et licet primatus inter Episcopos illius prouinciæ Episcopo Constantinopolitano concedatur, non tamen respectu Romani Pontificis, cui tam Constantinopolitanus Episcopus quàm alij Patriarchæ iure diuino sunt subiecti, tanquam vniuersali Ecclesiæ Episcopo; quam potestatem vniuersalem cum agnoscat Concilium in Episcopo Romano, idq; ex iure diuino; nullomodo censeri potest voluisse aut potuisse eam abrogare. Nullo igitur modo probare potuit Zaborouius ex dictis testimoniis exæquationem Patriarcharum cum Pontifice Romano.

eamq; ex institutione diuina.

Secundum Argumentum.

Ad Primatem Ecclesiæ vndiq; appellare licet. Ad Papam verò vndiq; appellare non licuit. Papa igitur primas Ecclesiæ non fuit. Minor huius argumenti est falsissima & conuincitur testimonio Concilij Generalis Sardicensis plusquam trecentorum Episcoporum, quod *in 4. & 7. Canone* declarat iure appellari posse & debere vndiq; ad Romanum Pontificem. Si hoc tibi testimonium, Zaboroui, non sufficit, quod est testimonium totius orbis & totius Ecclesiæ, nulla tibi testimonia sufficient: & tamen pergis impudenter contra veritatem tam claram agere, volens so-

Prouocatio ad Pont: Ro: libera semper fuit toto orbe.

lem in

lem in meridie obſcurare. Quid vero obiicis? decretum ais eſſe *canone 5.* Concilij Nicæni, vt qui ab aliis excommunicatur, ab aliis ad communionem non recipiatur. Dic obſecro quonam modo hunc canonem intelligis? Etenim ſi putas Concilium prohibere ne quis ab inferiore excommunicatus ad ſuperiorem recurrere, & cauſam ſuam agere poſſit: non ſolùm malus iureconſultus es, ſed etiam omni praxi Eccleſiaſticæ repugnas; In tota enim Eccleſia ſemper licuit ab inferioribus ad ſuperiores prouocare. Si verò canone dicto recurſum ad ſuperiorem prohiberi non potes aſſerere; te ipſum euertis. ſiquidem ex hoc canone elici non poteſt ne excommunicati ad alios ſuperiores recurrant, à quibus abſolui poſſint: ſed tantum vt ij, qui poteſtate ſuperiores non ſunt, ab aliis excommunicatos non recipiant. Ac proinde non potes obiicere prohibitum eſſe ad Romanum Pontificem recurſum, cuius poteſtas ſuprema ſemper eſt habita; & vt minimum in hoc canone inuolui Pontificem nullo modo probari poteſt.

Ais in iudicium Epiſcopi inquirere iubet Concilium, non Papam, ſed prouincialem Synodum. Primùm erras. Concilium enim Papam non nominat: nec excludit. Deinde Concilium Nicænum ſtatuit quidem pro ordinario remedio recurſum ad Concilium Epiſcoporum quotannis bis in eum finem congregatorum. At cùm Concilia non congregantur: aut in Conciliis ipſis congregatis iniquè agitur, vti ſæpe accidit: nihil de tali caſu ſtatuit Concilium Nicænum. Sardicenſe verò Concilium declarauit plenum ius ſummi Pontificis vt ad eum liceat appellare. Opponit etiam quoſdam prouincialium Conciliorum canones, quibus recurſus ad Romanum Pontificem prohibetur. Antiochenum *C. 6. & 15.* Mileuitanum *Canone 22.* verùm inprimis quid valent Concilia particularia contra Generale Concilium Sardicenſe, quod ius Romani Pontificis tam expreſsè declarauit? Quid etiam valent canones quorumcunq; Conciliorum, niſi probentur à Papa? Dico tamen dicta Concilia non eo conſilio tales canones ſanxiſſe quòd de ſumma auctoritate & poteſtate iudicandi Romani Pontificis dubitarent: ſed quòd cuperent Romanum Pontificem aliquid de ſuo iure remittere; quòd is recurſus illis prouinciis multa incommoda afferre videretur. non enim omnia quæ licent expediunt; cumq; poteſtatem Romano Pontifici ad ædificationem non ad deſtructionem datam intelligerent; malis ſuis ea ratione remedium quærebant: vt eum recurſum ordinariè prohiberent, ſalua tamen ſemper poteſtate, & iuriſdictione ſummi Pontificis. Id ita eſſe patet ex eo, quòd dicta Concilia hos

Concilia prouincialia nō poſſunt derogare œcumenicis:

nec niſi probata à ſummo Pont. aliquam vim habent,

cilia hos canones potestati & voluntati Romani Pontificis submiserunt; 1.
à quo datis literis postularunt vt moderationem omnem in ea re adhibere vellet: nunquam enim potestatem negarunt; sed moderationem postularunt. ita inter cætera Concilium Africanum, cui subscripsit etiam Augustinus *in Epistola ad Bonifacium Papam.* Concilium quoq; Mileuitanum ad Innocentium Papam ita scribit; *Quia te Dominus gratiæ suæ* 2.
præcipuo munere in sede Apostolica collocauit: tantumq; nostris temporibus præstitit; vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus; quàm ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus, accipere digneris. vbi Pontificis & sedem Apostolicam, & officium pastorale in Ecclesia vniuersa, & suarum Ecclesiarum subiectionem agnoscit. Deinde in *Canone illo 22.* solum prohibetur Presbyteris & inferioribus Clericis, non autem 3.
Episcopis Romam appellare: quod etiam Pontifex vna cum omnibus Canonibus illius Concilij approbauit. Nihil igitur causam Zaborouij iuuant canones dictorum Conciliorum, cùm ea Concilia potestatem summam iudicandi in Romano Pontifice agnouerint. Semper enim de iure licuit appellare ad Romanum Pontificem, saltem in grauioribus causis: licet de facto in causis ordinariis, quas per immediatos iudices terminari æquum erat, ex ipsius Pontificis Indulgentia & moderatione in certis prouinciis non appellaretur.

Cyprianus nõ oppugnat prouocationem ad Roman: Pont.

Opponit quoq; Zaborouius exemplum Fortunati, & Felicis, qui in Africa à Cypriano condemnati & depositi etsi appellarunt & confugerunt ad Cornelium Pontificem Romanum, tamen eos iniquè appellasse probat Cyprianus *in Epistola ad Cornelium lib. 1. Epistola 3.* 1. quòd his appellationibus subdola temeritate concordia Episcoporum collidatur. 2. quòd ibi causa sit agenda vbi reus testes & accusatores habere potest; id est in ea prouincia, in qua crimen ortum & admissum est. 3. quòd, inquit, paucis desperatis & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt. Verùm ex- 1.
pendat Zaborouius Cyprianum non eo argumento ad iniquam appellationem ostendendam vsum esse, quòd in Romano Pontifice non esset auctoritas tales causas cognoscendi & iudicandi, quæ fuisset maximè expedita ratio appellationem impugnandi: sed aliis argumentis ostendit expedire vt remittatur ad suum immediatum iudicium, nec illis fides habeatur. Aliud enim est de iure non posse fieri appellationem: aliud non

expedire fieri, etiamsi possit de iure fieri; non enim omnia quæ licent expediunt. 2. Agnoscit verò ibidem Cyprianus in Romano Pontifice Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est; & eò perfidiam accessum habere non posse. *Nauigare*, inquit, *audent; & ad Petri Cathedram atq; Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis literas ferre: nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante (Rom. 1.) laudata est; ad quos perfidia non possit habere accessum.* 3. Addo; si Fortunatus & Felix sciebant de iure nullum se habere præsidium à Pontifice Romano, quorsum ad illum appellassent? quorsum eam appellationem tantopere curasset impedire Cyprianus? contempsisset enim potius & risisset tanquam impertinentem & nullius valoris. Hæc ergo & similia indicant potestatem fuisse in Romano Pontifice vt ad eum appellari posset saltem in grauioribus casibus; nisi cùm idem Pontifex aliquibus prouinciis aliquando sponte & iure suo cedendo indulsit, vt in illis aliqua causa terminaretur. quomodo Damasus Papa citatus à Zaborouio *in Epistola ad Theophilum & Anisium* (*quæ est 79. inter Epistolas Ambrosii*) probat & permittit, vt iuxta iudicium Concilij Capuensis causæ illæ in prouincia cognoscerentur. & ex æquitate solum ait tales causas ad se non pertinere. alioqui de iure idém Damasus clarissimè agnoscit ad Apostolicam sedem pertinere vltima iudicia in causis Episcoporum hoc est circa eorum depositionem, & deiectionem, & similia, in Epistola quam de hac re scripsit ad Stephanum Archiepiscopum Concilij Mauritaniæ, & Episcopos trium Conciliorum Africæ: quod etiam dictus Stephanus cum vniuersis Episcopis trium Conciliorum Africanorum in sua ad Damasum Epistola agnoscunt. Verba Damasi sunt; *Secundum Domini diuinam præceptionem nos, qui super domum eius, hoc est vniuersalem Ecclesiam Catholicam* (nota Zaboroui) *Episcopale suscepimus ministerium, solicitè vigilare oportet: vt ne quid de sacris eius muneribus, id est Apostolicis viris, Apostolorumq; successoribus atq; ministris quisquam nobis in consultis damnetur.* Et infra; *Discutere*, inquit, *Episcopos, & summorum Ecclesiasticorum negotiorum causas, Metropolitanos vnà cum omnibus suis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis licet: sed definire eorum, atq; Ecclesiasticarum causarum sententias, querelas; vel damnare Episcopos, absq; huius sanctæ sedis auctoritate minimè licet; quam omnes appellare (si necesse fuerit) & eius fulciri auxilio oportet. Nam, vt nostis, synodum sine eius auctoritate fieri non est Catholicum; nec Episcopus in legitima*

Pontifices palam id ius suum professi.

gitima synodo & suo tempore Apostolica vocatione congregata definitè damnari potest; neq; vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate. Desine igitur, Zaboroui, nobis falsò obiicere, cùm ante mille trecentos annos tam expressum contra te, & pro auctoritate sedis Apostolicæ in vltimis iudiciis tam Episcoporum, quàm summorum Ecclesiasticorum negotiorum definiendis, testimonium habes. Ex quo etiam disces sanctissimum Pontificem eam potestatem ex institutione diuinâ profectam cognóscere, & in vniuersa Ecclesia semper receptam & vsitatam fuisse. quod vos noui homines, qui antiquorum scripta non euoluitis, nescitis, aut nescire simulatis; & solum voculas eorum aliquas obscuriùs dictas pessima fide citatis; vt eos contra expressam ipsorum mentem contraria loqui faciatis.

Tertium Argumentum.

A primate appellare non licet; à Papa autem Romano appellare licuit. Papa igitur in Ecclesia primas non fuit. Minorem probat *ex Epistola 166. Augustini*, exemplo Donati schismatici. qui à sententia Melchiadis Pontificis ad Constantinum Imperatorem appellauit. At quàm infideliter omnia refers. Nam quod damnat Augustinus tanquam ab homine schismatico, & contra omne ius factum; tu auctoritate Augustini probas. Neq; enim si quis rebellis & seditiosus prouocat à regio tribunali, ideo prouocatio talis censeri debet licita; cùm facta improborum & seditiosorum non faciant legem. Deinde quam appellationem nec ipse Constantinus ausus est admittere, tu quasi probatam à Constantino adducis. Ita enim ibidem Augustinus; *Quia*, inquit, *Constantinus, non est ausus de causa Episcopi iudicare; eam discutiendam atq; finiendam Episcopis designauit. Quod & factum est in vrbe Roma, præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis. Qui cùm Cæcilianum innocentissimum pronunciassent, & Donatum qui schisma Carthagini fecerat, sententia percussissent, iterum vestri ad Imperatorem venerunt, & de iudicio Episcoporum, à quo victi fuerant murmurauerunt, Quomodo enim potest malus litigator laudare iudices, quibus iudicantibus victus est? Verumtamen Clementissimus Imperator alios iudices Episcopos dedit apud Arelatum Galliæ ciuitatem, & ab ipsis vestri ad ipsum Imperatorem appellarunt. donec etiam ipse causam cognosceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumniosos pronunciaret.* Hæc Augustinus. Ex quibus habes, Zaboroui, primùm Imperatorem non esse ausum de causa Episcopi iudicare; sed eam remisisse ad Ro-

Nemo, nisi perduelis, à Rom: Pont: prouocauit.

Imper: non ausus iudicare Episcopos.

ad Romanum Pontificem. deinde agnouisse Imperatorem forum Africanis Episcopis apud Romanum Pontificem; neq; Romano Pontifici suam auctoritatem delegasse, cum nullam in se auctoritatem ad id agnoscens non fuerit ausus de causa Episcopi iudicare. tertio, Appellationem à Pontifice Romano ad Imperatorem non legitimam appellationem, sed murmurationem secundum Augustinum fuisse. quarto, Imperatorem alios Episcopos iudices assignasse, non ad retractandam Romani Pontificis sententiam; sed ad confirmandam & magis aduersarios conuincendos, qui toties & in omni iudicio damnati essent. quo etiam modo & ipse tandem coactus est causam cognoscere; non vt Episcoporum iudicium retractaret, aut corrigeret (non enim audebat de causis Episcoporum iudicare, nec in se eam potestatem agnoscebat) sed vt Imperatoria auctoritate interposita, quod Episcopus Romanus & alij Episcopi iudicârunt, ratum faceret: & tandem terminaret; ac executioni mandaret. Vides igitur, Zaboroui, quàm tibi non succedat tua contra Romanum Pontificem probatio, etiamsi multas falsitates in auxilium aduoces. Vos enim nihil probare potestis, si vobis integrum non fuerit aliqua falsa veluti condimenta vestræ veritatis in præsidium aduocare.

Quartum Argumentum.

Primas in Ecclesia pro synodorum indictione nulli supplicare debet. Atqui Papa pro synodorum indictione Imperatori supplicauit. vt patere ait de Liberio Papa, qui in causa Athanasij exulantis postulauit à Constantino Imperatore Synodum, *apud Theodoretum libro 2. cap. 16.* & de Leone Papa, qui ibidem Concilium cogi ab Imperatore Theodosio supplicauit *in Epistola 9. ad Theodosium Augustum.* Papa igitur Primas in Ecclesia non fuit. Futile sane argumentum. Nam si Maiorem ita intelligat, vt non liceat Pontifici auxilium brachij secularis ad agendum Concilium inuocare, errat. quidni enim Imperatoria potestas, quæ ad rebelles coërcendos & impedientes Concilij congregationem & progressum in officio continendos valet plurimum, adhibeatur? Hoc vero modo Pontifices ab Imperatoribus cogi Concilia postulârunt: non quòd potestatem Ecclesiasticam & Spiritualem, quam Christus Ecclesiæ reliquit, ad cogenda Episcoporum Concilia Imperatoribus tribuerent: sed vt eorum seculari ope securi à rebellibus & pacem impedientibus essent. Alioqui constat ex Damaso paulo ante citato Romani Pontificis proprium ex diuina institutione esse Concilia per vniuersam Ecclesiam indicere & eadem confirmare.

Auxilium Pontif. Ro. Imperatoris implorat sine præiudicio suæ auctoritatis.

confirmare.

confirmare, & approbare: & Concilia generalia in suis ad Romanum Pontificem Epistolis agnoscebant, se mandato literarum Apostolicarum ad Concilium conuenisse, vti ex actis Conciliorum manifestum est.

Quintum Argumentum.

Primati non potest à quoquam obsisti; nec is iudicium ad Concilium deferre debet. Atqui Papa cùm ei obsisteretur iudicium ad Concilium detulit. Primàs igitur Papa in Ecclesia non fuit. Minorem probat Innocentij Papæ exemplo, qui Chrysostomum & Theophilum depositum suæ Ecclesiæ restitui volens, iudicium eorum Concilio commisit. Quàm infirma tantæ rei probatio, & quæ tota in caput Zaborouij recidit. Nam inprimis primati à nullo obsisti posse de iure, verum est; de facto autem ab omnibus rebellibus obsistitur sicut & Deo. Atqui Pontifici de iure obsistere aliquem potuisse nec probat Zaborouius, nec probare potest. Nam hoc ipsum Innocentij exemplum ostendit illos omnes, qui decreto Innocentij restiterunt, id iure non fecisse. quia propterea ab Innocentio excommunicati fuerunt, vnà cum Imperatore Arcadio & Eudoxia vxore eius, quod restitutionem Chrysostomi permittere noluerunt. Deinde multis modis hoc Chrysostomi exemplum causam Zaborouij euertit. Nam inprimis Chrysostomus à Theophilo cum concilio multorum Episcoporum è sua sede pulsus ad Romanum Pontificem tanquam ad ordinarium Episcoporum iudicem confugit; ab eoq; petiit, vt suâ qua pollebat auctoritate sententiam Theophili irritam decerneret. Quamuis autem, quæ erat ipsius bonitas, pro inimicis supplicaret, ne à Romano Pontifice excommunicarentur; tamen hac ipsa deprecatione agnouit Chrysostomus in Episcopo Romano esse summam in alios Episcopos etiam Orientales iudicandi & excommunicandi potestatem. Patet id ex Epistola prima & secunda Chrysostomi ad Innocentium. Deinde cum Innocentius Orientalibus Episcopis sibi renitentibus non solum non cessit, sed etiam vnà cum Imperatore & Imperatrice excommunicauit: an non suam potestatem in Episcopos & Concilia manifestè ostendit? Quæ sententia non pro irrita fuit habita sed valida, donec iuridicè excommunicatio tolleretur. Tandem cùm Innocentius per Concilium remedium adhibere voluerit, non ob defectum potestatis id fecit, sed quia multò facilius per multos Episcopos congregatos negotium accommodari potuit. quibus decreti sui executionem commisit.

Perduelles soli restiterunt Pontifici Rom.

Sextum Argumentum.

Si Papa vnum Monachum ex aliena Diœcesi pellere non potuit (Leo enim Papa, *Epistola 46.* supplicat Imperatrici Pulcheriæ, vt Eutychetem ex Diœcesi Constantinopolitana in remotiora loca pellat) sequitur illum primatem non fuisse. &c. O egregium argumentum! Etenim si Rex rebellem aliquem multorum potentia fretum eiicere ex Regno non potest, num idcirco Rex esse desinet, & iure summo ac potestate suprema carebit? Deinde primatus Papæ est Ecclesiasticus, ratione cuius summam in vniuersalem Ecclesiam potestatem habet. qua potestate quia tum in Eutychetem vsus est, cùm eum de Ecclesia per excommunicationem eiecit; summâ in illum potestate non caruit. Eiicere verò eundem è Regno ad regalem & Imperialem potestatem spectabat. Quare meritò eam inuocare in auxilium potuit Pontifex sine vllo suæ spiritualis & Ecclesiasticæ potestatis præiudicio.

Eiicere quē è Regno alieno Pont: auctoritate sua non potest.

Septimum Argumentum.

Si Papa inuito & reluctante Episcopi alij deponebantur: alij functi sunt suo officio; sequitur Papam primatem non fuisse. Sed & hoc argumentum ineptum est. Quoties enim legitimo Principi rebelles per vim obsistunt, & potestatem illius impediunt, nunquid propterea ille desinit esse summus Princeps? Ostendere debuit Zaborouius, non solùm id factum esse, sed iure factum esse. quod cum non ostenderit, nihil quod ad rem pertineat probasse censendus est. Porrò ius habuisse semper Pontificem Romanum Episcopos deponendi & statuendi, non solum Damasus ante mille trecentos annos ex diuina institutione deducit; sed & Concilia, tam generalia, quàm prouincialia plurima agnouerunt. ex quibus aliqua paulò ante citauimus: sancti quoq; Patres idem confessi sunt, deniq; praxis perpetua Romanorum Pontificum idem docuit. Quare licet vi multa facta sint contra Pontifices in hoc genere nobis tamen non hoc agitur, quid vi & temeritate fiat; sed quid iure fieri debeat. Cyprianum verò falsò adducit Zaborouius quasi ius Romano Pontifici in deponendis & statuendis Episcopis negâret. Clarissimè enim *lib. 3. Epistola 13. ad Stephanum Papam*, supplicat vt statuat quis in locum Martiani substituendus sit. Et *lib. 1. Epistola 4.* de Basilide, quem Stephanus Papa in Episcopatum restituit, sic scribit; *Non tam culpandus est ille* (Stephanus) *cui negligenter obreptum est: quàm hic* (Basilides) *execrandus, qui fraudulenter*

Perduelles nil derogāt auctoritati legitimæ sua peruicacia.

dulenter obrepsit. Non igitur Cyprianus arguit Stephanum Papam ob vsurpatam potestatem, quasi restituere Episcopum de iure non potuerit: sed quòd male fuerit de re gesta à Basilide informatus. De Chrysostomi restitutione paulo antè diximus. De Flauiano quoq; Antiocheno Episcopo à Damaso Papa deposito constat, eum non prius Episcopatu fungi potuisse, quàm Romanus Pontifex consensisset, ad quem etiam legatos misit. Nam & Imperator Theodosius maximus eius promotor iussit eum Romam pergere ad causam dicendam; & Theophilus Alexandrinus per legatos apud Romanum Pontificem pro Flauiano intercessit, vt refert Socrates *5. Histor. Cap. 15.* Et Theodoretus *5. Histor. Cap. 23.* Quare falsum est, quod scribit Zaborouius eum contra voluntatem Romani Pontificis Episcopatu functum esse. Et sanè hæc omnia contra Zaborouium ostendunt summum fuisse ius & potestatem in Romanis Pontificibus ad deponendos & statuendos Episcopos. Quorsum enim tantum in ea re laborassent Imperatores, Episcopi, Concilia integra, te nullum verum ius talia agendi Romano Pontifici competeret, ita vt hæc ipsa, quæ contra nos producit Zaborouius, ipsummet confodiant.

Octauum Argumentum.

Papa inuito & per legatos suos reclamante Concilia canones suos condiderunt. Non igitur Papa primas fuit. At nunquam Concilia canones vllos condiderunt quibus Romanum Pontificem ius & potestatem in vniuersam Ecclesiam, ratione cuius ad illum vndiq; recurri possit, non habere declararent, imò eam sæpe agnouerunt vt ostensum est: sed quòd recursum ad Papam moderatum esse cuperent, ne immediatorum Episcoporum auctoritas vilesceret, & licentia in multis propter faciles appellationes augeretur. quos canones cùm ederent non vi & potestate contra Romanum Pontificem egerunt: sed humiliter supplicarunt suis postulationibus deferri, & Romanum Pontificem aliquantum suo iure cedere. Sciebant enim tales canones nullum valorem habituros, nisi à Romano Pontifice confirmarentur: quod de multis Conciliis Africanis supra ostendimus & præcipue de Concilio illo Africano, cui interfuit & subscripsit Augustinus; quod suorum canonum approbationem humiliter ab Innocentio Pontifice postulauit. Alioqui cũ Concilia prouincialia aliquid temere contra Romani Pontificis sententiam agebant, irritum id erat & inane. & auctores pœnis Ecclesiasticis à Romano Pontifice puniebantur: approbante factum vniuersa Ecclesia, & nemine Pontificem vsurpatæ potestatis

Temeritas aliena ius alterius non potest tollere.

teſtatis accuſante. Sic in negotio de rebaptiſandis hæreticis Cypriani tempore cū Pontifici pluſquā 70. Epiſcopi in Concilio congregati parere nollent, ab eodem condemnati fuerunt; vniuerſa Eccleſia factum, & ſententiam Pontificis approbante. Quo etiam modo in Concilio Chalcedonenſi id quod orientales de paribus Priuilegiis Conſtantinopolitani cum Romano Pontifice vrſerunt *actione 16.* reclamantibus legatis ſummi Pontificis, nunquam vllum robur habuit, Leoque Pontifex Concilium Chalcedonenſe ſolum quo ad explicationem Fidei approbauit, vti ipſe de ſe teſtatur. Et ſanè ſi in Republica tumultus aliqui fiant ſubditorum contra legitimi Principis poteſtatem, & leges aliquæ approbandæ vi & minis extorqueantur à Principe: nemo factum eiuſmodi probauerit, & pro argumento contra ius legitimi Principis produxerit. Quare neq; facta per tumultum & conſpirationes contra Romani Pontificis ius & poteſtatem à Chriſto inſtitutam & vniuerſa Eccleſia approbatam, in cuius etiam vſu & poſſeſſione ſemper fuit Pontifex, quidquam apud ſapientes rerum æſtimatores valere debent. Semperq; ſpectandum eſt, non quid per vim fiat; ſed quid iure fieri debeat; in quod toties impingit Zaborouius.

Nonum Argumentum.

Si Papa fuit ſubiectus Imperatori, non fuit ergo primas ratione po-
1. teſtatis. At per te abſurdum eſt poteſtatem ſpiritualem ſubiici ſeculari,
2. paſtores ouibus, animam corpori. Si Chriſtus Petro eiuſq; ſucceſſoribus

Pontif: Ro: auctoritas maiorquàm Imperatorū.

dedit poteſtatem ſoluendi & ligandi, etiam Imperatores: & paſcendi omnes oues, inter quas ſunt etiam Imperatores; quomodo dici poteſt iudices iis quos iudicant ſubiectos eſſe, paſtores ouibus? Quod ſi Pontifices ſuam poteſtatem in Imperatores ſæpe exercuerunt ipſos excommunicando: ſi
3. item ipſi Imperatores agnouerunt non ſemel ſe non habere ius Epiſcopos
4. iudicandi, vt de Conſtantino Magno, & Baſilio Imperatore conſtat, partim ex Ruffino *10. Hiſtor: cap: 2.* partim ex Actis 8. Synodi: quomodo aſſeri poteſt Romanum Pontificem Imperatoribus eſſe iure ſubiectum?
5. At videamus quibus documentis tantum paradoxum confirmet Zaborouius, nempe fabellis mendacibus. Ait primum Imperatores olim probaſſe vel improbaſſe electionem Papæ. At ſi hoc aliquando ab ipſiſmet Pontificibus alicui Imperatorum conceſſum fuit ad ſedandos tumultus, qui illis temporibus in electione Pontificum oriebantur, nunquid inde ſequetur Imperatorum auctoritatem maiorem fuiſſe Pontificia? Si ita eſt, omnes electores Imperatoris erunt poteſtate ſuperiores Imperatore, &

Imperatoribus ius ratā habendi electionem Pōtificum ipſi Pontifices fecere.

electores Regum ac Principum erunt superiores Regibus ac Principibus quos elegerunt. quo quid absurdius? Nonne te pudet, Zaboroui, tam inepte argumentari? Adde si suam electionem Pontifices subiecerunt Imperatoribus, quod illorũ temporum necessitas exigebat, num ideo personas suas & officium subiecerunt?

Secundo ait, Papam accersitum coram Imperatore comparere debuisse, vt probat exemplo Liberij coram Constantio Imperatore comparente. At, Zaboroui, semper eadem oberras chorda, cùm ea quæ per vim facta sunt, præsertim ab hæreticis Imperatoribus, qui omnem auctoritatem Romanorum Pontificum contempserunt, tu pro lege adducis. Ineptum te Iurisconsultum, qui ex facto ad ius argumentari consueuisti ineptissima apud omnes Iurisperitos argumentandi forma. alioqui quicunq; te per vim domo tua expelleret, is eo facto te nullum ius in domo tua habere euinceret. Non nego igitur malos aliquos Imperatores potentia elatos insolentiùs cum Pontificibus egisse; & illos sibi iniquè & per vim subiicere voluisse: at pientissimi Imperatores nunquam id attentare ausi sunt; & disertè docuerunt sibi iudicium in Episcopos non competere. quod ex professo Nicolàus Papa *in epistola ad Michaëlem* multis testimoniis confirmat; nempe pios Imperatores nunquam Pontificibus imperasse; sed obsecrasse solùm vt patres, si quid ab eis fieri voluissent. *Vis non est lex.*

Tertiò ait, Papam pro arbitrio Imperatoris iudicem delegatum fuisse, vt exemplo Melchiadis in causa Donati patere ait. At falsum id esse iam suprà ex Augustino probauimus. Non enim Imperator suas vices & potestatem Damaso delegauit: sed cum ad suam potestatem tale iudicium pertinere non posse videret, ad competens iudicium Pontificis totum remisit. neq; verò postea nisi inuitus causam à Pontifice iudicatam cognoscere voluit: & non nisi ad magis conuincendos aduersarios, Augustino ipso teste. Nihil igitur rem Zaborouij iuuat hoc exemplum; sed euertit potiùs & iugulat. *Imperator non instituit iudicem Pontificem Rom:*

Quartò ait, pro indictione conciliorum à Papa Imperatoribus fuisse supplicatum. Ita quidem ad inuocandum seculare auxilium, non verò ad tribuendam illis Ecclesiasticam, indicendorum conciliorum potestatem factum esse suprà ostendimus.

Quintò ait, Papas ab Imperatoribus aliquando fuisse depositos. At quis non videt nonnisi iure lupino & abusu potestatis id factum esse? Pontifices potiùs iure sibi à Christo concesso ligandi & soluendi & excommunicandi vsos in puniendis & excommunicandis Imperatoribus.

Sextò ait, Papas olim Imperatorem dominum suum agnouisse, quòd Gregor. *lib. 4. Epistol. 31.* dominum eum vocat. Tamné rudis es, Zaboroui, vt nomen honoris cum potestate confundas? alioqui verendum est, ne si quis te honoris vel ciuilitatis causa dominum appellet, te illico dominum ipsius putes.

Decimum Argumentum.

Si Papa frater, collega, coëpiscopus cæterorũ Episcoporum fuit, primas in Ecclesia esse non potuit. At nimis futile argumentum, quod iam suprà dilutum est. Etenim sicut Christus & Pater noster est, & Dominus diuerso respectu, ita & Papa & coëpiscopus dici potest, & Princeps Episcoporum. nam propter ordinem Episcopalem Coëpiscopus; propter verò summam in Episcopali ordine dignitatem, & in alios omnes Episcopos potestatem, summus Pontifex, Pater Patrum, Episcopus Vniuersalis dicitur, quibus titulis à variis conciliis appellatus est. vt suprà ostendimus. Cùm igitur, Zaboroui, decem tuis argumentis primatum Pontificis Romani expugnare nõ potueris, hoc vnũ effecisti; vt te tuosq; nihil solidi cõtra primatũ summi Pontificis habere omnes intelligãt. Tam enim leuia in mediũ produxisti: vt quiuis vel mediocriter rerũ peritus ea vno spiritu difflare possit. Præter enim æquiuocationes, falsas narrationes, ineptas illationes, continent nihil.

Pontifex Ro. & collega, & Princeps, & pater, & frater diuersa ratione.

Ac ne quid tibi ad ineptitudinẽ deesset, vltimo loco adiecisti plenum ignorantiæ argumentum, quo hodiernum Pontificem non tantùm primatis, sed nec Episcopi quidem legitimi nomine dignandum esse efficere niteris. quòd præcipua & essentiali virtute veri Episcopi careat, quæ est velle & posse docere, & sacramenta rite administrare. Etenim si de officio docendi loquaris id essentiale esse Episcopo vti nemo negat: ita si de actu docendi intelligas, nemo tibi sapiens assentietur. Norũt enim sapientes actũ officij nõ pertinere ad essentiam officij, sed esse effectũ quendam & partum ipsius. absurdumq; est dicere effectum esse de essentia suæ causæ. alioqui sequeretur eum, qui ab actu officij aliquando desistit, ab officio decidere & officij dignitatẽ perdere. Etsi igitur, qui officio suo vel non fungitur, vel negligenter fungitur merito culpandus est: non tamen eo ipso officij dignitatem amittit. Quocirca non nisi inepte probas Pontificẽ, si officio docendi nõ fungatur non esse verum Pontificem. Aliud est enim esse verum Pontificẽ, aliud bonum & officio suo rectè fungentem: malusq; Pontifex verè Pontifex est. quia verè officium gerit; nec dignitatem suam amittit; licet quia officio suo non fungitur malus Pontifex est. Hæc igitur est prima tua ignorantia qua officij essentiam cum eius actu & functione confundis.

Docere reapse nõ est essentiale Põtificatui.

Altera est, quòd quid sit docere in Ecclesia non intelligis. Videris enim docendi munus ambona definire; vt qui ex ambona populo non prædicat, docere minimè censeatur. Ea enim ex causa Romanum Pontificẽ docere negas, quòd nõ concionetur ex ambona ad populum. Atsi intelligeres illum multò magis in Ecclesia docendi munus exercere, quàm prædicatorum quempiam, à tali calumnia abstineres. Etenim præcipuum in Ecclesia docendi munus est Fidem explicare, quæstiones Fidei definire, hæreses condemnare, veram à falsa doctrina discernere, dubia

Docere non est solùm ex suggesto.

circa

circa Scripturas & verum earum sensum exponere, traditiones Apostolicas veras indicare. Quod verò ad mores attinet, dubia & difficultates ad conscientias spectantes declarare: quid secundum Deum licitum sit, quid non, docere; vt omnia secundum ordinem in Ecclesia fiant præscribere; pœnas delinquentibus assignare; ad Pœnitentiam & Sacramentorum vsum propositis etiam Indulgentiis populum Christianum inuitare. Hæc verò omnia per se ipsum Romanus Pontifex cùm quotidie faciat, an ne tibi docere vniuersam Ecclesiam non videtur? idq; magis quam vllus alius. Nam Pontificis doctrina ad vniuersam Ecclesiam pertinet; aliorum vero ad aliquem exiguum cœtum. Doctrina Pontificis ipsos etiam concionatores instituit. qui vt sanam doctrinam populo communicent à Pontificis declaratione & doctrina dependent.

Multipliciter docet Pont: Ro.

Cùm verò Bellarminum rides dicentem, Pontificem curare ab aliis Prædicatoribus doceri populum, hac enim ratione ais etiam centenariam anum posse agere Romanum Pontificem. posset enim tales habere, per quos officium docendi subiret, nec quid rideas intelligis; nec responsionem Bellarmini assequeris. Etenim anus nec docendi officium in Ecclesia subire potest, vetante Paulo mulierem in Ecclesia loqui: nec potest ex officio instruere prædicatores, illosq; docere, quid docere debeant; multò minùs res Fidei definire; & falsa à vera doctrina pro tota Ecclesia ex officio discernere & diiudicare. Hoc verò modo Pontifex per Prædicatores quos priùs ipse dicto modo instruxerit & docuerit, docet postea populum tanquam per sua instrumenta. Frustra igitur conuasas varia Patrum testimonia, quibus asseritur munus docendi Episcoporum proprium esse: vt si illud negligant officio suo minimè satisfaciant: verum ij nunquam requirunt, vt Episcopus per seipsum omnes immediatè doceat; sed posse etiam & debere suam doctrinam per Prædicatores ad populum transmittere. Hi verò solùm pastores per suos vicarios docentes populum damnantur, qui relictis veris pastorum officiis, alia eaque secularia negotia tractant. hi enim officio suo minimè satis faciunt, Pontifices verò Romani dum in prædicando sibi vicarios substituunt; ab officio verò pastoris non desistunt. Nam & vniuersam Ecclesiam suis quotidianis responsis in Fide & moribus instruunt: & quid Prædicatores docere populum debeant præscribunt. quare in ipsa Prædicatorum substitutione docendi munere pastorali funguntur. Vide igitur, Zaboroui, quàm petulanter & temere contra Romanum Pontificem, cuius Reges quoq; & Imperatores, ac vniuersus Christianorum cœtus auctoritatem venerantur, eiq; se humiliter subiiciunt, linguam & calamum strinxeris nullo respectu tantæ dignitatis habito: neq; tuis rationibus, vt in tanta re par erat, bene expensis. Det tibi Deus in posterum saniorem mentem. ego verò consilium do; vt, quæ in lucem vnquam editurus es, magis ad lucernam expendas: & solidioribus rationibus instruas. ne apud doctos plus perdas quàm acquiras.

Bellarminus frustra ridetur à Zaborouio.

Fabula de velo ab Epiphanio conscisso, in quo pictura Christi, aut alterius Sancti continebatur.

Cvm fabulis delectetur Zaborouius: easq; pro argumentis in suæ causæ subsidium adducat: operæ pretium iudicaui; si tam insignem fabulam ab aduersariis confictam, & assutam ad finem epistolæ Epiphanij ad Ioannem Ierosolymitanum, quasi Epiphanius velum quoddam præ templi foribus pendens, & Christi vel alicuius Sancti imaginem referens, religione ductus sustulerit, & conscideril, manifestissimis documentis refellerem: vti eam refellunt, Baronius *in anno Christi 392.* Bellarminus *lib. 2. de imaginibus Sanctorum cap. 9.* Cornelius Shultingius *in confessione Hieronymiana tomo. 4. cap. 9.* Ac inprimis illud argumento est, quod Epiphanius cultum sacrarum imaginum pro errore vel hæresi nunquam habuit, vti hæc fabula mentitur. Cùm enim in libro de Hæresibus omnes hæreses ad sua vsq; tempora sigillatim enumerauerit; in eum numerum proculdubio eam quæ est de cultu sacrarum imaginum retulisset, si eam hæresim vel errorem contra Fidem existimasset. maximè si, vt fabula narrat, ipsemet manibus suis imagines demolitus est. Cùm igitur nihil tale in catalogum hæresum retulerit, certissimum argumentum est; illum cultum sanctarum imaginum, quem in Ecclesia vsitatum non ignorabat, pro errore contra Fidem non agnouisse. Quo argumento vsi sunt Patres in 2. Nicœna Synodo *act. 6.* vt Epiphanium à simili calumnia liberarent. Deinde cùm Iconomachi omnia Epiphanij testimonia diligentissimè explorarent, vt eum ad suam sententiam & contra imagines pertraherent: ita vt etiã falsos quosdam libros nomine Epiphanij producerent: huius tamen fabulæ, quæ maximè illis patrocinari poterat quoquo modo, nihil prorsus meminerunt. Meminissent proculdubio si tale quid in scriptis Epiphanij contentum fuisset; cùm & maximè illustre id esset Epiphanij contra imagines testimonium facto eiusdem comprobatum; & in Epistola ad magnum virum, hoc est Ioannem Ierosolymitanum scripta, & à Sancto Hieronymo in latinum conuersa contineretur; quæ epistola cùm manibus omnium tereretur, propter plurima eius exemplaria quæ vt ait Hieron. *epistola 101.* certatim Palæstinæ rapiebantur, vel ob meritum auctoris, vel ob sermonis elegantiam. Quomodo igitur nostri Euangelici tam lynceos oculos post mille ducentos annos habeant, vt eam fabulam, quam omnes Iconomachi priscis illis temporibus summo studio & inquisitione facta videre non poterant, ipsi post tot secula viderint. Ex quo etiam patet, seculum illud vetus hanc fabulam prorsus ignorasse. nam & in Nicœna synodo,

Epiphanius non putauit hæresim esse imaginum venerationem.

Fabulosum est ab Epiphanio imagines sacras discerptas esse.

quę 400 poſt Epiphanium annis habita eſt, neſciebatur; etiamſi magna diſquiſitio fieret vti dictum eſt; & Gregorius primus Sereno Maſſilienſi id obiecit, quòd ante illum nullus ſacerdos cultum ſacrarum imaginum damnaret. Ita enim habet *in lib. 9. Epiſt. 9. Dic, frater, à quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti? Si non aliud, vel illud te reuocare debuit, ne aliis fratribus deſpectis ſolum te Sanctum & eſſe crederes ſapientem.* Si igitur S. Gregorio credimus, nullus Sacerdos ante Serenũ, hoc eſt ante ſua tempora, imagines confregiſſe credendus eſt. 3.

Tertiò, S. Hieronymus hanc Epiphanij epiſtolam ipſe latinam fecit. cuius ſumma capita cùm recenſet, nullum de cultu imaginum ponit. quod tamen, cùm ſit longe diuerſum à reliquis, poſuiſſet. Nam & in libro de optimo interpretandi genere duo tantùm eius argumenta ponit: alterum, quod aliquos Ioannis Ieroſolymitani errores reprehendat: alterum, quòd amicè ad meliora cohortatur, & reprehenſionis libertatem, ne offendatur, deprecatur. In Epiſtola etiam ad Pamachium aduerſus Ioannem Ieroſolymitanum omnia capita Epiſtolæ Epiphanij à Ioanne Ieroſolymitano oppugnata recenſet, & defendit, nullâ talis fabulæ facta mentione. Et verò ſi Ioannes Ieroſolymitanus Epiphanium tantopere reprehendit, quòd in illius diœceſi ordinare presbyterum abſq; eius ſcitu fuerat auſus, quomodo diſſimulaſſet quod in ipſius diœceſi imagines publicè in Eccleſia propoſitas demolitus fuerit? Cùm ergo neq; Ioannes id Epiphanio obiecerit; neq; Hieronymus inter obiecta à Ioanne recenſuerit, indicio eſt nihil tale in illa Epiphanij epiſtola contentum fuiſſe; ſed ab architectis mendaciorum, quales fuerunt ſemper hæretici, affictum & aſſutum eſſe. 4. *Hieronymo ignotum id factum.* 5.

Quarto, ſi ea de cultu imaginum Epiphanij ſententia fuiſſet, quam fabula teſtatur; cur vtiq; Epiphanij diſcipuli poſt obitum ipſius, vt conſtat ex Concilio Nicœno *2. act. 6.* templum in honorem ipſius & ſub eius nomine exædificarunt, & in eo plurimas imagines & picturas, inter quas etiam vnam ipſius Epiphanij eſſe voluerunt, collocarunt? num quis mentem & doctrinam Epiphanij melius quàm ipſi eiuſdem diſcipuli comprehendiſſe putandus eſt? aut honorem ſe magiſtro ſuo præſtitiſſe crediſſent, ſi quæ ille maximè ex Eccleſia exturbabat, illi in Eccleſiam inferrent? 6. *ignotum Epiphanij diſcipulis.*

Quinto, quam incredibile eſt Epiphanium in aliena diœceſi cultum imaginum abrogare voluiſſe; cùm in propria ſua diœceſi, hoc eſt in Cypri Eccleſiis, eum cultum pateretur. Teſtatur enim S. Ioannes Damaſcenus *in oratione 1. de imaginibus*, Cypri Eccleſias plenas imaginibus ad ſua vſq; tempora fuiſſe. Ex his itaq; omnibus perſpicuum eſt fabulam hanc verè fabulam eſſe; quam ignorarunt, & Epiphanius, & concilij Nicœni Patres, & Hieronymus, qui eam Epiſtolam latinam fecit; ac aduerſus Ioannem Ieroſolymitanum defendit; & deniq; diſcipuli eius, ac omnes Cypri Eccleſiæ, ſed recens à nouatoribus affictam & aſſutam eſſe. 7. *In ſua diœceſi in Cypro paſſus imagines Epiphanius.*

tam esse. Quare licet nunc habeatur in tomis Hieronymi Basileæ impressis, habetur tamen tanquam spuria, & assura, non tanquam legitima & vera; cum toti antiquitati fuerit inaudita.

Fabula de Fæmina Papa.

Fabula de Papa fæmina primus auctor Martinus Polonus.

NON est fabula in mundo, quæ magis fabula dici possit: quæque minus veri similitudinis in omnibus habeat, quàm ista de fæmina pontifice. Quid enim hic non fictum? auctor, locus, tempus, & reliquæ circumstantiæ. nam quis fabulæ primus auctor? Martinus Polonus, qui quadringentis post annum istius ficti Pontificis annis vixit; primusque è scriptoribus eius mentionem fecit, cæteris omnibus rerum Ecclesiasticarum per 400 annos scriptoribus tacentibus. Vnde verò hanc historiam mutuatus est? num ab aliquo fide digno historico? Minimè. Ait enim; *Fertur.* ostendens se non ex aliquo probatæ fidei auctore, sed ex incerto populi rumore, qui omnium fabularum fons est, totam historiam accepisse. Tota igitur historiæ huius veritas & certitudo concidit, cùm nulli certæ auctoritati innitatur. Quocirca frustra Zaborouius numerum scriptorum recentiorum colligit. qui cùm nullum alium historiæ auctorem præter Martinum Polonum proferant, etiamsi innumeri essent, maiorem fidem non merentur, quàm vnus Martinus Polonus. Testimonium enim multorum ab vno deriuatum pro vno tantùm in iure testimonio habetur. Cùm verò Martinus ipse suo testimonio fidem derogauit, asserens se ex rumore vulgi historiam desumpsisse; ea ratione omnibus qui ipsum incautè sequuti sunt auctoribus fidem omnem abrogauit. Certè si quis falsis rumoribus ciuitatem impleat; & innumeros habeat qui ex ipso idem affirment; nemo sapiens rerum æstimator multitudine illa narrantium commouebitur, postquam didicerit, eos ex vno incerto narratore id totum accepisse. Neq; verò solùm Martinus à nullo bono auctore historiam illam accepit; sed nec accipere potuit. Nam per totos quadringẽtos annos ab isto ficto Pontifice tot scriptores rerum Ecclesiasticarum fuerunt; imò & illo ipso tempore quo fingitur ista fœmina fuisse: nullus tamen ne vno quidem verbo talem historiam indicauit. Nam Anastasius Bibliothecarius, & Ado Episcopus, qui tempore ficti istius Pontificis vixerunt, & Pontificum sibi succedentium seriem diligenter descripserunt, nullam talis Pontificis mentionem fecerunt; sed nec alij per totos 400 annos Ecclesiasticæ historiæ scriptores; quam proculdubio non omisissent, tum ad seriem Pontificum texendam; tum quia res tam notabilis nulla dissimulatione tegi vel supprimi potuisset. In Sigeberto quidem, & Mariano Scoto, qui antiquiores Martino fuerunt, inuenitur Ioannes fæmina, sed nonnisi in re-

qui tamen eam non affirmauit.

Scriptoribus aui illius ignota.

Sigebertus & Maria-

dens impressis exemplaribus apud hæreticos. nam in antiquissimis manu scriptis nihil tale extat; ita vt hoc ipsum sit argumentum euidens fabulam & confictam à maleuolo aliquo libris horum auctorum insertam esse. *nus Scotus eandē ignorabant dum vixerunt.*

Iam vero & illud quantum est fictę fabulæ indicium, fingere aliquem extitisse, cui nec locus nec tempus assignari possit, quo extiterit, quasi extra omnem locum & extra omne tempus existere quispiam possit. Ita vero fingitur ista fæmina extitisse; nempe inter Leonem quartū & Benedictum tertium. Atqui tam Anastasius, quàm Ado, qui illo tempore vixerunt, testantur Leonem quartum octo annis sedisse; eiq; immediatè succesisse Benedictum tertium. non igitur reliquerunt locum inter istos Pontifices Ioanni ficto. Neq; aliter fabulam aduersarij tueri possunt, nisi contra omnem historiæ fidem ex annis Leonis, (quem ex omnium historicorū sententia constat octo annis præfuisse) duos annos & medium detrahendo, cùm inter octo annos Leonis, & annos Benedicti nulli alij intercesserint vacantes anni, qui tribui possint huic ficto Ioanni. Quomodo igitur non fabulosum erit, Ioannem istum sedisse, cùm locum inter Pontifices habere non potuerit, Benedicto succedente Leoni immediatè? aut quomodo non fictum habebitur aliquem extitisse, qui nullo vnquam tempore extiterit? Neq; potest soluere Zaborouius, si dicat posse constare certò de re, etsi non constet certò de tempore. Nam inprimis hic de re certò non constat, cùm nullus certus auctor proferri possit, qui id absolutè affirmet. Nam & Martinus Polonus incertò affirmat, & ante illum per 400 annos nullus, nec certò, nec incertò, affirmauit. Deinde aliud est nō constare de tempore quo quis fuerit, aliud excludi certissimè omnibus temporibus. Cùm igitur ostendamus hunc fictum Papam excludi omnibus temporibus (siquidem omnia tempora singulis Pontificibus assignata ab historicis habentur) ideò rectè demonstramus eum in nullo tempore sedere in Pontificatu potuisse: impossibile enim est & contradictionem implicans, eum qui nullo vnquam tempore existere potuerit, aliquando extitisse. *Tempus non potest monstrari, quo fuerit istud monstrum.*

Omitto alias circumstantias; quales ad ornandam hanc fabulam ab aduersariis excogitatæ sint, cùm eæ ipsæ falsitatem fabulæ demonstrent: vt de Moguntia in Anglia, quæ in Anglia nulla est · de studio Athenarum, quod illo tempore nullum fuit; de sede perforata ad explorandum sexum, quam ad hunc finem adhibitā esse nonnisi mendacissime dicitur: de statua huius fæminæ, quam Pontifices non solùm nō erexissent, sed etiam ad dedecus tollendum prorsus sustulissent: constatq; illam statuam Sacerdotis gentilis puerum ducentis fuisse: de declinatione viæ ad Lateranum ad detestationem facinoris, cùm ea declinatio propter anfractus vię ad profectionis commoditatem necessario fiat. Cùm igitur omnes circumstantiæ nonnisi mendaciis & calumniis constent, quis non videat eam fabulam totam ex mendaciis consarcinatam esse, & omnium fabularū men- *Mendaciis alienis pluribus farta ea fabula.*

dacissimam

dacissimam? Quanquam ea de fæmina Papa, historia, quæ nobis falsò obiicitur, verissimè nostris Euangelicis obiici potest & debet. Ii enim verissimam fæminam Reginam Angliæ Elizabetham in caput EcclesiæAnglicanæ constituerunt, grauissimis pœnis decretis si quis Papatus honorem illi non deferret. Quid hic Zaborouius? Negabit illam Papissam fuisse? At si caput Ecclesiæ Anglicanæ supremum post Christum fuit, Papissa proculdubio fuit. nos enim Papæ nomine supremum Ecclesiæ caput secundùm Christum intelligimus. Quòd si extrà Angliam aliarũ ecclesiarum caput non fuit, negari tamen non potest, eam Ecclesiæ Anglicanæ caput, ac proinde Papissam Anglicanam fuisse. Quàm verò nefandum est fæminam vnam rebus sacris præesse, & pro auctoritate in Ecclesia ius dicere, Ministris Christi & Ecclesiæ imperare, & omnes functiones sacras peragere; eæ enim functiones capiti supremo Ecclesiæ negari non possunt. Ea res ita indigna visa est Apostolo, vt fæminam in Ecclesia ne quidem loqui permiserit. Quod si fæmina esse caput Ecclesiæ potest, quomodo loqui in Ecclesia prohibetur? quomodo ei è suggestu in templo concionari non licebit; cùm sit cæterorum Ministrorum & concionatorum caput? Si enim Ministri iussu & auctoritate ipsius concionantur; quid ni ipsa maiori ratione ius concionandi habeat? Si dicat Elizabetham ratione sui principatus in republ. omnem potestatem in Ecclesiam quoq; habuisse; reuinci facilè potest multis scripturę exemplis, quibus Pontifices Regibus ius in ea, quę ad officium sacerdotum spectant, denegarunt, Ita enim Azarias sacerdos Oziam Regem alloquitur; *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domini; sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron; qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium Egredere de sanctuario: ne contempseris. quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. 2. Paralip. 26.18.* Cùm verò in Ecclesia Christus Sacerdotes pastores Regum esse voluerit, Reges verò oues ipsorum, vt & ligari & solui à sacerdotibus possint: an non id est ordinem à Christo institutum peruertere, Principibus secularibus, præsertim fæminis, ius & potestatem in pastores suos & Patres tribuere? Quocirca torqueat se in omnẽ partem Zaborouius: euadere certè vim nostri argumenti non poterit. quo potenter conuincitur Euangelicos fæminam Papam & Ecclesiæ caput habuisse.

Mulier Euangelicis verè Papa fuit.

Regno suapte natura coniuncta non est sacerdotij potestas.

Hæc breuiùs fortè quàm par erat contra Zborouiũ; at si quis me respondentis non adstruentis personam suscepisse animo reputet, me facilè omni culpa liberabit. maximè quòd ea, quæ hic paucis perstricta sunt, ex instituto in duobus *DE NOTIS MINISTRORVM* libris contra Zaborouiũ scriptis copiosè à me sunt pertractata.

AD MAIOREM D. O. M. GLORIAM.





